Walberg

De
Iphigenia Aulidensi
Euripidea fabula
quaestiones

—

C. A. Walberg

—

Ups. 1856.

DE

IPHIGENIA AULIDENSI,

EURIPIDEA FABULA,

QUÆSTIONES.

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM

VENIA AMPL. FAC. PHILOS. UPSAL.

PROPONIT

MAG. CAROLUS AUGUSTUS WALBERG

VESTROG.

IN AUDIT. GUST. A. D. IV ID. MART. MDCCCLVI.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

TYPIS DESCRIPSERUNT WAHLSTRÖM ET SOC.

Nulla facile Græcorum tragoedia tam uberem dubitandi conjiciendique materiem præbuit, quam Euripidis Iphigenia in Aulide. Quæ postquam interpolationum rumoribus infamari coepta est, accrescentibus paullatim suspicionibus et longius usque serpentibus, tanta criminum mole obruebatur, ut, quemadmodum in morbis desperatis medici nihil sibi non experiri licitum existimant, ita critici in hac fabula libero quodam et expedito judicio uterentur, quum alius alium conjecturarum inventione superaret. Quid, quod non defuerunt qui Euripidi totam tragoediam eripere vellent. Et horum quidem sententia paucis probata est; nam præter diserta veterum scriptorum testimonia ipsa fabula ita Euripidis ingenium artemque testari videbatur, ut nihil de auctore posset dubitari. Alii autem iique plurimi præclarissimum hoc Euripideæ artis specimen prædicantes, quamquam ab interpolatore quodam deformatum esset, quum falsa a veris secernere et Euripidi sua restituere se profiterentur, tantam sententiarum diversitatem præstiterunt, ut magis suam quandam quam germanam Euripidis tragoediam effecisse viderentur. Nec mirum id quidem: infracta enim vel potius eversa codicum auctoritate, necesse erat, quam quisque haberet et de poetæ ingenio atque arte et de hujus tragoediæ ratione sententiam, eam fere judicandi normam sequeretur. Itaque non modo versuum transpositione et verborum tum expulsione tum trajectione, quibus remediis crebrius hic quam alibi usquam utebantur, dissimiles tragoediæ formas constituerunt, sed etiam de iis, quæ interpolatori essent ascribenda, adeo dissenserunt, ut in sexcentorum fere et triginta versuum numero, qui alii ab aliis ejecti sunt, ne unus quidem, quem consentiens omnium judicium damnaverit, inveniri possit.

Jam horum conjecturas, quæ in origine interpolationum quærenda versantur, nec tentare in animo est nec augere. Nam nisi de ipsis interpolationibus sintne et quæ sint certum constat, illæ quæstiones non modo nihil prosunt sed etiam obsunt haud parum vero indagando. Avocant enim judicum animos ab ipsa fabula ejusque vera conditione et ad opinionum commenta traducunt, quæ, quo ingeniosius excogitata sunt quoque probabiliore specie alliciunt, eo magis tragoediam vel indicta causa suspectam reddunt et æquo integroque judicio obstant.

Atqui hæc dijudicatio, quæ nostræ tragoediæ partes ab Euripide sint profectæ, quæ ab interpolatore insertæ, et difficillima est et mentem requirit nulla præjudicata opinione occæcatam. Nam si omnino in critica arte summa et ingenii et doctrinæ vis cernitur, huic autem arti nulla facile provincia dari potest, ad quam recte administrandam illa instrumenta magis sint necessaria, quam opera tragicorum; si tragicorum Euripides et propter ingenium et propter metrorum rationem maximam critico affert dubitationem[1]) et hujus tragoedias Iphigenia in Aulide consensu omnium longe superat difficultate — qua tandem ingenii felicitate, quanta doctrinæ copia, quam familiari Euripidis cognitione opus est, ut quæ ejus sint in hac fabula ab alienis recto ac firmo judicio distingui possint.

Quibus præsidiis quum me destitutum viderem, temeritatis potius audaciæque putabam quæ non nisi a summis viris expediri possent periclitari, tantum aberat, ut aliquem inde fructum huic quæstioni futurum sperarem. Sed si quis hanc tragoediam legere et considerare instituerit, non licet ei in tanta commentatorum dissensione, qui tragoediæ species et inter se et a libris manuscriptis diversissimas exhibeant, medium esse aut unius alicujus auctoritatem secure sequi: reclamant enim et aliorum non levior auctoritas et codicum neglecta fides. Necesse est igitur illorum sen-

---

[1]) Vide Herm. Hecuba denuo recens. Præf. p. VIII; item Præf. Iph. Aul. p. VIII.

tentias examinet, examinatas aut admittat, posthabitis codicibus, aut rejiciat.

Hoc ego humilius quoddam et necessarium critices munus quum exercerem, codicum memoriam non nisi invictis argumentis coacto mihi deserendam censebam. Nam illud quasi fundamentum omnis licentiæ, quam sibi arrogassent, quod omnes, qui ætatem tulissent, hujus tragoediæ codices ex uno et eodem codice derivatos esse ob eamque causam minus valere auctoritate dicerent, id eam vim habere intelligebam, ut dimidiam fere Euripidis fabularum partem cum hac in discrimen esset adducturum[1]. Perpauca igitur quibus interpolationes convincerentur argumenta aut non refutata aut refutari non posse videbam; nulla quibus ductus hanc tragoediam singulari illo corruptionis genere depravatam manifesto deprehenderem.

Quæ quoniam omnia percensere et tempus et locus vetat, melius et fructuosius duxi, duabus solis quæstionibus, quæ et maxime essent celebratæ et a ceteris quodammodo solutæ, me continere, plenamque, si possem, et perfectam refutationem efficere, quam si latius vagans multarum rerum summas, nulla accuratius explicata, perstringerem. Consistet igitur hæc disputatio in iis examinandis refellendisque, quæ contra primam et extremam hujus fabulæ partem sunt allata.

Sed quum duo sint genera argumentorum, quibus in hanc fabulam usi sunt, alterum ex ipsa fabula petitum, alterum in veterum scriptorum memoria positum, hoc, quamquam nec per se multum valet nec proprie est huic disputationi subjectum, tamen non est omnino prætereundum, ne cupidius agere et quæ contra nos facere possint occultare videamur.

---

[1]) Fixius, gravissimus harum rerum auctor, Annot. Crit., quam Editioni Didot. præmisit, p. 20: »omnino velim teneant viri docti, quod diligentissima observatione habeo ego exploratissimum, in Supplicibus, utraque Iphigenia et septem, quæ post Troades et Rhesum inveniuntur fabulis» (Bacch., Heracl., Hel., Ion, Herc. Fur., Electr., Cycl.) »nos uno tantum uti codice, cujus varia apographa vel Parisina vel Florentina, si ab scribarum vitiis recedis, non alias inter se præbent discrepantias nisi quæ in archetypo codice fuerunt additamentis conjunctæ» etc. Cfr. Præf. p. II.

Qui primus hanc interpolationum quæstionem movit, Musgravius, quum prologus nostræ fabulæ »illustriore quodam et ad probabilitatem aptiore propositionis genere» scriptus ei videretur et locus ille Æliani Hist. Anim. VII, 39: ὁ δὲ Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ·

ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνθήσω φίλαις
κεροῦσσαν, ἣν σφάζοντες αὐχήσουσι σὴν
σφάζειν θυγατέρα·

succurisset, alium prologum fuisse ab Euripide scriptum putabat, ad quem hi versus pertinerent. Quoniam vero ad Agamemnonem præsentem, salva reliqua tragoedia, hæc dici non potuisse intelligebat, absentem statuit a Diana fuisse compellatum; monuitque tali modo verba ad absentes fieri Andr. 222, Iph. Taur. 378, Hec. 55[1]. Hujus sententiam primi impugnarunt Bremius et Matthiæus: neque enim Dianæ ajebant ira in Agamemnonem percitæ convenire, hunc in prologo consolari neque absentes compellari, nisi is, qui alloquatur, in graviore animi affectu versetur et eorum, quos alloquatur, sortem doleat, et Euripidis mori repugnare in prologo ipsum fabulæ exitum enunciare[2]. Sed magis Musgravium refellit tota ratio tragoediæ nostræ, quæ ejus prologum aspernatur. Neque id fugit Boeckhium, qui, ne in eundem scopulum incideret, audaciorem rationem secutus, quum Ælianeos versus cum Musgravio ad prologum retulisset neque tamen, quomodo reliquæ fabulæ convenirent, videret, hanc longe aliter primo fuisse scriptam conjecit. Cujus judicium, etsi illo probabilius videtur, tamen merito est improbatum: nam ab omni hujus fabulæ argumento abhorrent illi versus in prologo positi. Fieri enim non potuit, quin propter eos tragoediæ nervi mirum quantum infringerentur, metus autem miseratioque, quæ poeta injicere volebat, si statim ab initio de Iphigeniæ salute animi spectatorum essent securi, magnopere debilitaren-

---

[1]) Hic ut ubique, nisi alii diserte indicantur, numeris versuum utimur L. Dindorfii.

[2]) Vide Matth. Tom. VII. p. 320.

tur[1]). — Itaque Porsonum secuti plerique in fine fabulæ locum illis versibus assignarunt, ubi ad Clytæmnestram eos dictos putant ejusqne orationis partem fuisse, qua Diana in deperdito epilogo matrem afflictam erexerit[2]). At ne hæc quidem ratio difficultatibus est libera, quod Matthiæus[3]) et Firnhaberus[4]) docuerunt et ex ea, quæ de epilogo erit, hujus disputationis parte apparebit; ita ut non Æliani versus epilogum suspectum reddiderint, sed suspectus epilogus illis aditum patefecerit. Nam nisi ita esset, cur illos versus non ex epilogo ab Euripide minore, quum hanc tragoediam in certamen deferret, addito servatos esse statuerunt? aut ex alius Euripidis Iphigenia? Duo enim tragici fuerunt præter magnum illum hoc nomine[5]). Aut, si obstare putanda sunt quæ deinceps leguntur apud Ælianum l.l. *ἐν δὲ τοῖς Τημενίδαις . . . ὁ αὐτὸς Εὐριπίδης φησί* etc., ex Taurica quæ exstat Iphigenia?[6]) Nam utram Iphigeniam dixerit Ælianus, non certum est. Ad hæc consideranti, quam frequentes reperiantur errores veterum scriptorum, sive ipsorum putandi sunt sive librariorum, in fabulis earumque scriptoribus indicandis, vix cuiquam dubium videbitur, quidquid momenti huic testimonio tribuatur, id ex ipsius fabulæ conditione esse repetendum, non illi per se deberi.

Leviora sunt, quamquam ad nostram fabulam diserte referuntur, reliqua argumenta ab eodem Musgravio adhibita. Horum unum erat Hesychii glossema *ἄθραυστα ἀπρόσκοπα. Εὐριπίδης Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Αὐλίδι*, cui, quum nusquam repertum esset, Hemsterhuisius in v. 57 locum quæsierat. Sed etiamsi nomen concedamus recte ab Hesychio indicatum, cui in hoc genere non nimis credendum novimus[7]), tamen

---

[1]) Vide Firnhaberi Iphig. in Aul. p. XVII—XIX.
[2]) Ita Bremius, Hermannus, Hartungus, Editor Cantabrigiensis, alii.
[3]) l.l. p. 321—2. [4]) l.l. p. XX.
[5]) Quod docet Valcken. Diatr. p. 94. c. Idem paullo infra Heathium cognomini Euripidi Ælianeos versus tribuisse testatur.
[6]) Vide Firnh. p. XXI, ubi hanc opinionem non nimis absurdam esse ostendit.
[7]) Firnh. l.l.

tantulum vitium, quod aut librariorum errore aut grammatici indoctioris sedulitate, notam vocem pro exquisitiore reponentis, commissum esse possit, levius est ac frequentius, quam ut ad graviora illa interpolationis crimina confirmanda quidquam valeat[1]. Nec majorem vim habet alterum argumentum[2]), quod Musgravium Boeckhiumque movit, ut ex hac fabula sumtos putarent quattuor primos versus cantici, quod est Aristoph. Ran. v. 1309 sq. Ibi enim scholiasta, postquam de toto carmine judicavit *χαρακτηρίζουσι τὰ Εὐριπίδου μέλη ὡς ἐκλελυμένα*, ad *κύμασι στωμύλλετε* pergit sic: *διὰ τοῦ στωμύλλετε πάλιν εἰς αὐτὸν παίζει ἐξ ἄλλων δὲ καὶ ἄλλων Εὐριπίδου δραμάτων κόμματα τίθησι καὶ οὐδὲν κατὰ τὸ ἑξῆς λέγει μέλος*; tum addit *ἔστι δὲ τὸ προκείμενον ἐξ Ἰφιγενείας τῆς ἐν Αὐλίδι*. Hoc si quis totum legerit, vix, credo, unum integrum, non modo quattuor deinceps Euripideos versus in eo carmine exspectabit. Et falsam esse illorum opinionem vel ipsa vox *στωμύλλετε* mere comica coarguit, ut recte monuit Bremius. Itaque, etsi Ran. v. 1317—18 toti ex Euripidis Electra expromti sunt, quum eundem scholiastam audiamus v. 1320 propter unum verbum quod neque Euripidi proprium sit neque in ea solum tragoedia usurpatum, ex Hypsipyle expressum dicere, Asclepiadem autem Ran. v. 1331 sq. ex Hecuba v. 68 sq. repetiisse, inter quos nulla fere intercedit similitudo verborum; quo tandem jure quattuor integros versus in hunc locum traductos statuamus?[3]) At aliquid certe debet fuisse similitudinis, cujus in hac tragoedia vix ullum reperias vestigium.

---

[1]) Cfr. Matth. l.l.

[2]) Bodius omnium gravissimum hoc argumentum judicat. Dicit enim Geschichte d. Hell. Dichtkunst p. 514: »namentlich lässt sich der von Aristophanes parodirte Chorgesang in diesem (dem Plan des erhaltenen Drama) nicht unterbringen; daher ist es nicht unwahrscheinlich das der jüngere Euripides das Stück des Vaters umgearbeitet und das getadelte Lied nebst andern ausgemerzt und durch neue ersetzt hat.»

[3]) Copiosius de his disputat Firnhaberus p. XXII—III, breviter, sed ut satis faciat, Matthiæus p. 323.

Placuit igitur plerisque[1]) Bergleri conjectura, qui scholiastam τῆς ἐν Ταύροις scripsisse aut voluisse scribere putat; etenim in Taurica Iphigenia quæ chorus post v. 1088 canit, iis est insignis cum his Aristophanis versibus cognatio.

Omnium autem levissimum est illud, quod Boeckhius ex scripturæ discrepantia petebat argumentum, nihil curans, unde has diversitates manasse verisimile esset, sed omnes Euripidi minori deferens. Quarum quum tria genera sint, ut libri manuscripti nostræ fabulæ aut ipsi secum pugnent aut cum veterum scriptorum memoria aut cum Aldina editione; Seyffertus, qui in peculiari disputatione de hoc Boeckhii argumento docte et explicate egit[2]), ostendit: primum genus librariis esse ascribendum, secundum partim memoriæ lapsui aut elegantiæ perspicuitatisve studio illorum scriptorum partim grammaticorum explicationi fortasse etiam librariorum errori deberi; tertium esse ex Aldinæ editionis correctionibus ortum[3]). Quod breviter significasse satis habeo, nam ad confirmandum nihil additum opus esse videtur.

His igitur, quæ commemoravimus, argumentis adductus Boeckhius in libro, quem de tragicis Græcis scripsit, nobilissimam illam multorumque disputationibus celebratam de duplici Iphigeniæ recensione conjecturam proposuit. Cujus aditum aperuit scholiastæ locus ad Aristoph. Ran. v. 67, ubi hæc sunt: **οὕτω δὲ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμωνύμως ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας.** Nam quum Boeckhius, quod et argumentorum natura ita ferret et quidam alterius Iphigeniæ versus ad Aulidensem aperte spectarent, hanc ante illam fuisse scriptam sta-

---

[1]) Hartungus (vide Ed. Lat. p. 248) illud scholion ad ῥανίσιν v. 1312, quod vocabulum est in nostræ fabulæ v. 1515, pertinere censet.

[2]) »De duplici recensione Iphigeniæ Aulidensis quæstiuncula.» Halis 1831. Cfr Matth. l.l. p. 324.

[3]) Idem est Hermanni de Aldina judicium (Præf. p. XXII), confirmatum a Fixio, qui novissimam fecit codicum Par. collationem. Alii Aldinæ Editioni ut ad meliorem codicem expressæ plus auctoritatis tribuunt.

tuisset [1]), Tauricæ autem prologum in Ranis perstringi meminisset, illo scholiastæ testimonio adhibito conjecit, Euripidem minorem, quum Iphigeniam Aulidensem iterum agendam curaret, alia detraxisse, alia addidisse; ita et prologum, cujus fragmentum Ælianus servavit, recisum in ejusque locum novum suppositum et posteriorem parodi partem, qua Græcorum classis describitur, inculcatam. Jamdiu jacet hæc conjectura omnibus præsidiis detractis. Atque ex hoc scholio apparet nihil aliud effici posse, quam occasionem fuisse Euripidi minori patris fabulam retractandi mutandique, non id factum esse.

Quoniam igitur de argumentis extrinsecus conquisitis [2]), quibus interpolationum suspiciones nituntur, pro consilio nostro diximus, nunc ad fabulam ipsam aggredientes videbimus, qualia sint quæ in ejus initio et exitu eas confirmarunt.

Ac prologus quidem, quoniam singulari quadam forma scriptus est, non potuit non suspiciosos oculos in se convertere. Nam quum ex fabulis Græcorum, quæ quidem nobis cognitæ sint, nulla ab anapæstis incipiat præter Æschyli Persas, Supplices, Myrmidones, Prometheum *λυόμενον*, in quibus prologum agit chorus, una Iphigenia in Aulide initium habet anapæsticum a personis inter se colloquentibus pronunciatum. Nec minus, inquiunt, contra morem Euri-

---

[1]) Idem ex eo conclusit, quod Alcmæonem, quæ tragoedia ejusdem ac Iphigenia trilogiæ esset, jam in Equitibus Aristophanes carpserat (Ol. 88, 4). Scilicet Boeckhius unam tantum hoc nomine fabulam posuit, quas duas fuisse jam constat: Bothius quidem tres constituit, Eur. Fr. p. 28.

[2]) Omisimus Athenæi locum XIII. p. 562. E., quem ad v. 550 affert Hermannus, uberrimum illum quidem ad conjecturas faciendas sed ex quo nihil certi de hac fabula hauriri possit; item Plutarchi de tuenda sanitate p. 132 B. (vid. Herm. ad v. 556), quo Boeckhius ad duplicem recensionem efficiendam abusus est. Nec plus valet, quod in inscriptione illa marmoris antiqui (vide Matth. Tom. IX. p. 2—3) una tantum Iphigenia commemoratur; nam hoc sculptoris arbitrio commissum est, qui et Alcmæonem et Melanippen unam posuit, quarum utriusque nomine duas fabulas statuit idem Matthiæ.

pidis ab anapæstis ad iambos, ab his denuo ad anapæstos transitur. Accedit quod iambi illi narrationem continent talem fere, qualem Euripides in ceteris prologis persequitur[1]). Hæc etsi ita sunt comparata, ut neminem fugiant, qui modo strictim attigerit tragoedias Græcorum, tamen non sunt eo certiora corruptionis indicia et cavendum est, ne justo plus poetæ consuetudini tribuamus. Nam si tres illos tragicos, quorum paucissima opera nobis relicta sint, non modo inter se magnopere differre videmus, sed horum quemque non uno modo fabulas suas instituisse, ita ut in ea, de qua nunc agitur, parte Æschylus quattuor fabularum exordium fecerit anapæsticum, Sophocles autem in Trachiniis prologum pæne Euripidea forma scripserit: quidni Euripides in hac fabula eadem usus sit libertate? Nam, ut ait Hermannus[2]), »plane in nulla fecisse tum demum credi debebat, quum diserto monstratum fuerit idonei auctoris testimonio[3]). Prologum

---

[1]) Matthiæus Tom. VII. p. 322. Similiter Hartungus in libro, quo Germanice reddidit et explicavit hanc tragoediam, p. 175. — Monendum est, prologum hic duobus modis usurpari, ut aut sit *μέρος ὅλον τῆς τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου* (Arist. Poet. c. XII) aut narratio illa quasi vestibulum fabulæ constituens, quam Euripides tragoediis suis præponere solebat.

[2]) Præf. p. IX.

[3]) Nec tale præstitit Hartungus l.l. ex schol. ad Hec. v. 1 afferens: *ὃ καὶ ἐν ἀρχῇ πάντων τῶν αὐτοῦ δραμάτων ποιεῖν εἴωθεν.* Nam etiamsi idoneum auctorem illnm scholiastam prædicaveris, non disertum est testimonium; quod cuique patebit, qui totum scholion perlegerit, in quo hæc sunt: *ἀφεὶς ὁ Πολύδωρος τὸ σῶμα ἑαυτοῦ καὶ μόνη ψυχὴ ὤν, αἰωρεῖται ἐπάνω τῆς μητρὸς αὐτοῦ, καὶ λέγει εἰς ὑπήκοον αὐτῆς τήν τε σφαγὴν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐσομένην τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ Πολυξένῃ ὑφ' Ἑλλήνων, ἐποίησε δὲ τοῦτο ὁ ποιητὴς ἐξεπίτηδες, ἵνα δῆλα πᾶσι ποιήσῃ τὰ κατὰ τὸν Πολύδωρον* — sequuntur quæ ab Hartungo citata sunt. Quid est enim illud, quod Euripides in principio fabularum fecisse dicitur? Scilicet ea exposuisse, quæ pertinerent ad intelligentiam rei, quæ spectanda proponeretur. At hoc si dicit scholiasta, non tam externus habitus et metrica forma quam universa argumentum tractandi componendique ratio respicitur; hujus autem non multum interesse videtur, si in una alterave fabula pauci versus aliis numeris scripti ante illam expositionem positi sint. Itaque, credo, non necessarium erat scholiastæ, etiamsi hujus tragoediæ meminisset, præsertim in tanta fabularum multitudine,

vero qualem fere Euripidis fabulæ habent, ne in hac quidem desideramus: qui si præter consuetudinem non in ipso fabulæ initio sed medius inter anapæstos, quibus Agamemno cum ministro suo colloquitur, positus est: recordari debemus, eo tempore scriptam esse hanc tragoediam, quo poetas inclinato jam flore artis, ut novitate placerent, ad insueta confugisse minime est mirandum. Neque ea res sine exemplo videtur fuisse, quum etiam in Plauti fabulis, quæ ad mediæ sunt comoediæ similitudinem factæ, quædam prologum non habeant in ipso initio.» Sed ne inter ipsas quidem Euripidis fabulas prologi omissi an inserti exemplum videtur defuisse. Nam ut Rhesum omittam, cujus duo ferebantur prologi, Andromedæ nobilissimæ fabula exordium habemus Aristoph. Thesm. v. 1065 sq., ubi scholiasta: *τοῦ προλόγου Ἀνδρομέδας εἰςβολή*[1]). Quod carmen, etiam si monodia fuisse videatur itaque a nostra fabula aliquantum differat, tamen indicio est, morem, quo prologum illum suum fabulis præmiserit, non tam religiose fuisse a Nostro observatum, ut numquam ab eo recedendum putaverit. Deinde quid offensionis habeant anapæsti et iambi hoc modo se excipientes, certe ex ipsorum natura non potest intelligi[2]). Ac merito reprehendit Kiefferus[3]), quod qui de his disceptarunt plerique id tantum quæsierunt, num ad Euripidis consuetu-

---

Iphigeniam propter 48 anapæsticos versus e ceterarum numero eximere; modo ne vocabulum illud *ἀρχήν* ultra quam opus est premas.

[1]) Hartungus negat, hoc ita esse intelligendum, quum, ut ex alio eorundem scholiorum cognoscatur, Echo hujus tragoediæ prologum egerit. Quod quomodo demonstraverit, nescio: mihi quidem contrarium, si quidquam, iis scholiis videtur confirmari. Idem eo probabilius est, quod neque opus erat prologo (quis enim virginem saxo affixam conspiciens non agnosceret Andromedam et rerum statum intelligeret?) et quod *προλογίζειν* parum convenit Echus naturæ. Neque vero, si solam formam respicias, minus mirum videtur, quod in Helena, quæ fabula cum Andromeda data est, duo exstant prologi, quorum alter a Menelao pronunciatur v. 386 sq., et scena et orchestra vacua.

[2]) Sub finem Eur. Electræ chorus anapæstis denunciat Dioscurorum adventum, quorum habita oratione redeunt anapæsti.

[3]) Citatus a Firnhabero p. XXV.

dinem essent accomodati, omnem quæstionem, utrum rebus convenirent an minus essent idonei, prætermiserunt. Poetam enim, quum argumentum invenerit animoque composuerit, suam cuique rei propriamque formam eligere. Quare ubi res ut nusquam alibi sint comparatæ, ibi etiam nova insolitaque forma eas exprimi; atque ideo anapæstos illos et iambos, si modo rebus apti sint, nihil habere, quod admirationem nedum suspicionem movere debeat[1]. Oportet igitur hæc simul considerari, ut illi ex rebus judicentur.

In his autem maxime oratio illa iambis scripta impugnatur, quæ et a superioribus et a sequentibus et ab Agamemnonis persona abhorrere arguitur. Primum enim objecit Bremius non modo formam et colorem scenæ hac oratione prologi locum tenente turbari, sed etiam ridiculum esse, quod ad senis verba v. 44:

φέρε κοίνωσον μῦθον ἐς ἡμᾶς

Agamemno alia omnia respondeat, quæ scire spectatorum intersit, non quæ senex quæsierit et cognoscere cupiat. Quæ crimina Hermannus hoc modo defendit: »Agamemno dubius animi nec satis sciens, quid scriberet Clytæmnestræ, quum sæpius quæ scripserat retractasset, jam cogitabundus secum repetit causam atque originem mali, quo hanc in sollicitudinem sit conjectus: quod quum facit, consentaneum est eum non ad ea attendere, quæ senex responderi volebat, oratione autem uti tranquilliore, quam qua paullo ante anapæstis locutus erat[2], in quos mox iterum incidet, redeunte eo in quo fuit motu animi. Quod si ista rerum, quas scire spectatores poeta voluit, narratio non nihil abhorrere ab iis videtur, quæ, si vera res ageretur, dicturus esset Agamemno: numqui magis id mirum est, quam in ceteris Euripidis pro-

---

[1]) Mire Hartungus Ed. Lat. p. 84: »etiamsi ullam scenam interpellatam ab Euripide esse sic, ut, diverso numerorum genere interjecto, rursus idem metrum continuaretur (id quod neque factum est umquam *neque fieri potuit*) concederem» etc. Quod judicium argumentis comprobare supervacaneum duxit.

[2]) Prorsus eadem ratione in Hippolyto Diana anapæstis incepta oratione ad iambos transit.

logis omnibus?» His igitur et numerorum idonea mutandorum reddita est ratio et ipsius orationis tum causa ex Agamemnonis animi affectione recte repetita, tum finis ad spectatores docendos, ut oportebat, relatus. Quamquam minus bene ceterorum Euripidis prologorum excusatione usus est; non quod horum licentia magis veræ tragoediæ conveniat, sed quia in magna formæ similitudine non eadem hujus atque eorum est conditio. Nam hi, quod jure opposuit Hartungus, quoniam laxioribus fere vinculis cum ipsis fabulis connexi quasi prooemii instar obtinent, non ad severam illam normam sunt exigendi, qua par est reliquas fabulæ partes judicari, huic autem, de qua quærimus, orationi nulla eo nomine venia datur. Sed non opus est illorum præsidio, neque ad Euripidis consuetudinem refugiendum, ubi fabularum omniumque artificiorum natura satisfaciat. Nam ut hominum humanarumque rerum imaginem quandam in fabulis expressam desideremus, tamen, quemadmodum omnes artifices, etiam qui simillimam veri effigiem elaborant, ex magna ejus, e quo similitudinem ducunt, copia ac varietate, quum omnia nec queant nec debeant, pauca retinent, hæc autem sic mutata, aucta, conformata, ut non modo totum quiddam et in se conclusum efficiant, sed etiam commoda perceptione voluptatem afferant; ita fabularum scriptor non modo ex iis, quæ, si vera res agitur, commixta sunt, omittit multa, quoniam ad actionem illam, qua fabula continetur, nihil habeant momenti, verum addit etiam haud pauca perspicuitati consulens, ne intelligendi difficultatem fabula spectatoribus habeat. Quorum utrumque, omittere dico et addere, non magis recte fit quam necessario. Quare omnino perverse judicant ii, qui quæ in fabulis aliter fiunt et dicuntur quam in quotidiana vita ob ipsam eam causam reprehendunt nec quidquam in iis spectatorum respectu institutum volunt. Et quum ejusmodi reprehensio justam habeat rationem, ubi (in iis scilciet, quæ ad argumentum fabulæ recte explicandum pertineant; neque enim alia sunt admittenda), aut quod personæ conveniat non satis sit custoditum aut ea dicta vel facta esse fingantur, quorum non idonea sit occa-

sio oblata; prius ab Euripide etiam in prologis observatum videmus, posterius, quod ibi cum aliqua venia neglexit, in hac Agamemnonis oratione, quæ in ipsam fabulam conjecta apte cum superioribus cohærere debeat, non licuit prætermittere. Neque vero prætermissum est, modo bene memineris, quæcumque persona aliqua loquatur, ea non solum ex iis, quæ proxime dicta et facta sint, pendere, sed ex ipsius quum indole ac moribus tum præsenti animi affectione esse repetenda. Quæ qualis in Agamemnone sit, statim ab initio et per totum superius colloquium aperte est a poeta demonstratum. Nam quum audimus Agamemnonem ex ministro ad mandatum accipiendum evocato noctis horam quærentem, quam tantæ stellarum ignorationis causam fuisse putamus, quæ ne in servos quidem et ineruditissimos homines illorum temporum cadat? Nulla, si quid video, esse potest alia, nisi mens summo angore perturbata atque commota, quæ oculorum sensibus diffidat[1]. Nec minus in sequentibus ea commotio elucet. Nam a ministro de stellarum positu certior factus, rex cogitationum suarum cursum persequens nec illum respiciens queritur noctis silentium tranquillitatemque[2]; adhuc enim sperabat oriturum esse ventum, qui imminens periculum averteret anxiæque dubitationi finem imponeret; jam omni spe destitutus, consilium aliquando sibi esse capiendum intelligit. Deinde illo admonente, ut, rebus tranquillis, intro redeant, Agamemno, quasi nihil audierit, non ad ejus verba respondet sed oblitus, ut videtur, mandati, quod erat daturus, sermonem ad diversam hominum conditionem convertit, quum felices prædicat eos, qui inglorii et ignobiles vitam sine periculis peragant, eorum sortem miseratur, quibus honores ma-

---

[1]) Hermannus vexatam hanc regis quæstionem v. 6 ex negotii mandandi natura repetit negatque aliam opus esse causam. At ea declarat tantummodo, cur rex ita quæsierit, non quomodo sine absurditate et risus periculo id fieri potuerit.

[2]) *οὔκουν* v. 10 potius ad ea, quæ ipsius regis animum tenent, quam ad proxima senis verba respondent.

lorum necessitatem afferant[1]). Talem igitur nobis regem describendo, in cogitationibus defixum, dubitatione æstuantem et secum magis quam cum sene colloquentem, optime sibi poeta ad hanc orationem, qua illam rerum expositionem, quæ alias in prologis fieri solebat, erat inserturus, viam præmunivit, ut ne mirandum esset, si ad senis interrogationem et ea, quæ is ignoraret et scire cuperet, non satis apte accommodatum regis responsum videretur.

Sed tantum abest, ut in superioribus versibus quidquam cum Agamemnonis oratione pugnet, ut etiam ad hanc illi spectare et hujus quodammodo causa præmissi videantur. Nam et illa perturbationis et anxietatis vestigia, quæ in Agamemnonis dictis totoque habitu apparent, futuram significant explicationem ad eamque accipiendam animos spectatorum præparant; et proxima senis oratio, in qua ille, postquam regis querelis humanæ conditionis necessitatem opposuit, qualem is per totam noctem se præstiterit, recordatus vehementissimis interrogationibus dominum urget et probatam suam fidem commendat, nonne hæc facit, ut Agamemnonis illam, quæ sequitur, orationem exspectemus?

Jam et ex his, quæ adhuc disputata sunt, et sua sponte apparet quam vim habeant argumenta quædam ab Hartungo nuper proposita[2]). Is enim hanc, quæ agitur, orationem Agamemnonis personæ repugnare judicat, quod et talis loquacitas rege indigna sit coram servo curioso, et quod tempus ei desit et ipse propere editis mandatis servum ad celerem profectionem excitet, et quod Agamemno servo Clytæmnestræ magis quam sui studioso adeo non accuratiorem conditionis consiliique sui rationem reddat, ut, postquam machinationes suas prope ab illo perspectas viderit, tum denique, quæ maxime sint necessaria aperiat. Horum primum quum aliis multis tum eo refutatur, quod, ut diximus, rex

---

[1]) Vocabulum illud φιλότιμον v. 22, ab Hermanno et Hartungo ejectum, non est honoris cupiditas (ut reddunt Ed. Cant. et Firnh.) sed quod ab ea expetitur et efficitur; qua vi idem verbum usurpatum videmus v. 342 (et 385?).

[2]) Ed. Germ. p. 176.

non servi magis quam sua causa illam narrationem facit; alterum non unde oportebat, ex versibus, qui præcedunt Agamemnonis orationem quique contrarium ipsum efficiunt, verum ex sequentibus, qui nihil probant, depromptum est[1]); tertium partim fictum est, partim ex demonstrando demonstratum; nam recte se habent qnæ dicit Hartungus admissa illa iamborum trajectione, quam ipse fecit: servato, qui in libris et apud ceteros omnes editores exstat, versuum ordine, nihil Agamemno videtur celare, omnia aperte confitetur, etsi a ministro non recte accipiuntur.

Itaque nos conferamus ad alterum Bremii argumentum, quod maxime hujus prologi defensores cruciavit. Versatur autem in repugnantia eorum, quæ iambis continentur, cum sequentibus anapæstis. Narravit enim Agamemno v. 97—110, se impulsum a Menelao litteras ad Clytæmnestram dedisse, in quibus filiam ad se mitti jubens connubium cum Achille prætexuisset, quod mendacium præter Calchantem et Ulixem et Menelaum nemini esse cognitum: in iis autem litteris, quas tunc traditurus esset, mandata illa esse retractata: et tamen quærit senex v. 124:

καὶ πῶς Ἀχιλλεὺς λέκτρων ἀπλακὼν
οὐ μέγα φυσῶν θυμὸν ἐπαρεῖ
σοι σῇ τ' ἀλόχῳ;

Hanc repugnantiam ut tolleret, Hermannus, quamquam, ut videtur, non sine dubitatione, ita statuit, regem v. 97·

οὗ δή μ' ἀδελφὸς πάντα προςφέρων λόγον
ἔπεισε τλῆναι δεινά.

et v. 104 sq.

πειθὼ γὰρ εἶχον τήνδε πρὸς δάμαρτ' ἐμήν,
ψευδῆ συνάψας ἀμφὶ παρθένου γάμον.
μόνοι δ' Ἀχαιῶν ἴσμεν ὡς ἔχει τάδε
Κάλχας, Ὀδυσσεὺς Μενέλεώς θ'·

---

[1]) Versibus demum 136 sq. Agamemno, redeunte instantis mali cogitatione, festinatione opus esse animadvertit et servum, ut proficisci maturet, adhortatur.

aversum a sene et submissiore voce dicere[1]). In qua explicandi ratione non pauca sunt, quæ offendant. Nam etiamsi per Græci theatri consuetudinem licuerit, ex personis in scena simul versantibus unam loqui quæ alteri non audiri fingerentur[2]), vereor tamen, ne hoc in loco non modo absurdius sed etiam ridiculum accideret spectatoribus, quum Agamemnonem viderent, oratione, quam ministro habebat, repente interrupta, ad ipsos conversum magna voce (ut propter theatri amplitudinem necesse erat) ea clamantem, quæ illius in pulpito adstantis acerrimeque attendentis aures non attingerent. Sed licet ex hac parte nihil obstet, Agamemno quod spectaret non sine absurditate consecutus videretur. Nam neque quod in media oratione aversus a sene seorsum loqueretur hunc fugere et suspicione liberum esse posset, neque exclusis, quos vult Hermannus, versibus reliqua oratio ita est conformata, ut integra esse et senem quamvis hebetem fallere posse videatur. Sed, quod maximum est, neque Hermannus neque alius quisquam causam indicavit, cur rex, qui, ut pectoris angorem levaret et novum consilium firmaret et seni doloris causam quærenti mo-

---

[1]) Præf. p. XII. Hunc secutus est Ed. Cant. p. 81.

[2]) Si ea prætermittimus, quæ de adveniente persona, ut huic non audiantur, dicta reperimus, nec multa nec certa hujus rei exempla in superstitibus Græcorum tragoediis exstare putamus. In plerisque enim sententiarum ambiguitas vel obscuritas certum prohibet facere judicium. Neque perfecto mirum esset, si, quæ in nostris theatris, ubi et scena multo est profundior et spectatores ab ea multo propius absunt, haud raro absurdius fieri videntur, ea Græcorum consuetudo refugiebat. Exemplum tamen habemus insigne Hec. 736—51, quamquam ibi multo secus est atque hoc loco. Certe talis interruptionis, qualem hic sumpsit Hermannus, nullum facile invenias exemplum. Nam nostræ fabulæ v. 963, in quo articulus nomini Clytemnestræ præfixus displicuit et a plerisque editoribus Hermanni auctoritate in *εἰ* mutatus est, codicum scriptionem non cum Ed. Cant. sic defendendam censemus, ut hunc et proxime sequentes versus seorsum et submisse, ut a Clytæmnestra non perciperentur, pronunciatos fuisse statuamus; consentaneum enim est, Achillem hoc loco summa ira incensum nec nisi injuriæ sibi illatæ memorem perinde loqui, quasi non adesset Clytæmnestra. Ita Hec. v. 674 famula de Hecuba tamquam absente loquitur, nec tamen ut verba reginam fugiant.

rem gereret, hanc orationem suscepit, nunc ea ipsa, quorum causa cetera omnia essent enarrata, celaret, quum præsertim paullo infra v. 128 sq, aperte et multa asseveratione veram connubii rationem confiteatur[1]).

Videamus igitur alione modo repugnantia illa possit amoveri, idque ita, ut nihil de oratione sua Agamemno seni non dicat. Patet autem id effici non posse, nisi quæ dixit ille ab hoc perperam intelligi queant. Quonam igitur jure hoc sumatur? Nonnullis vel persona ministri causam idoneam visa est præbere[2]): eum enim ajunt longe ætate provectum et mente propter senectutem obtusa, quum atrocem illam calamitatem regiæ domo imminere audisset, adeo perturbatum afflictumque fuisse, ut quæ deinceps ab Agamemnone dicerentur non recte perciperet, omnia confunderet. His consentiens Firnhaberus[3]) etiam in Agamemnonis orationem diligentius inquisivit, quam talem esse ostendere studuit, ut ambiguitate quadam fallere posset. Ac primo quidem illud prudenter monet, nos, quum hujus orationis illam partem, quæ versibus 124 sq. repugnare videtur, legamus, præ iis, quæ aliunde de his rebus comperta habeamus, facile nihil ambigui animadvertere, ubi seni esse potuerit. Idem tamen, quomodo senex orationem intellexerit, non æque bene explicuit. Nam si Agamemnonis verba v. 97 cum Firnhabero ut de sacrificio dicta accipiuntur, equidem non video, qui fieri possit, ut vel a sene quamvis hebeti quæ sequuntur aliter intelligantur, quam ut rex per speciem nuptiarum filiam immolandi causa arcessierit. Ita accipi jubet ipsa particula *καί* v. 98, quæ hic fere est »itaque» et illam litterarum missionem iis, quæ proxime dicta sunt, convenienter factam esse significat. Porro ut v. 104 ad ea tantum respiciat, quæ Agamemno in proximis tribus versibus dixit, se Achillis dignitatem amplificando eumque alia conditione cum Achæis in bellum esse profecturum negando Clytæmnestram ad filiam dimittendam permovisse; id Firnhaberus eo

---

[1]) Vide quæ præter hæc reprehendit Firnh. p. XXX et 87.

[2]) Firnh. p. XXX. [3]) Vide primum Excursum p. 256—8.

efficit, quod e versu 105 elicit sententiam, quæ vereor ut seni illi in mentem venire potuerit. Interpretatur enim: »mendaciis obvolvens virginis nuptias.» Denique, si, quod putat Firnhaberus, senex opinatur, Achillem oblatam ab Agamemnone conditionem accepisse, ut virginem a mortis periculo liberaret, quomodo potest v. 124 interrogare, nonne futurum sit, ut Achilles sperata conjuge frustratus regi ejusque uxori irascatur? Neque enim hebeti illo animo et terrore perturbato adeo licet abuti, ut seni non modo prava et ab iis, quæ narrantur, diversa sententia, sed ea etiam absurda et ipsa secum pugnans tribuatur, præsertim quum illorum de ministri persona judicium omni poetæ testimonio careat, qui callidum potius eum nec facile de statu dejectum fecisse videatur. Neque vero persuadent exempla a Firnhabero prolata, quibus suam rationem commendat. Quamquam enim sæpius fit in Græcis tragoediis, ut quæ ad aliquem dicta sint non recte ab hoc intelligantur; tamen plerumque hunc errorem aut ab eo, qui loquitur, de industria injici videmus aut ex necessitate quadam humanæ naturæ fluere, ubi rerum novitas vel atrocitas animos vehementer concutiat faciatque, ut quæ narrantur vel addubitentur vel perverse accipiantur. Atque ad hæc fere et frequentissima et ad probabilitatem aptissima genera pertinent illa Firnhaberi exempla[1]), ut non multum valeant ad tam contortam explicationem defendendam.

Quoniam igitur, ut diximus, v. 98—103 sententiam necesse est iis consequentem habere, quæ v. 97 continen-

---

[1]) Unum attulit, cujus singularis quædam ratio esse videtur, ex Phoenissis depromptum. Ibi enim postquam pædagogus v. 95 omnia se dixit expositurum:

ἅ τ' εἶδον εἰσήκουσά τ' Ἀργείων πάρα
σπονδὰς δτ' ἦλθον σῷ κασιγνήτῳ φέρων,

nihilominus Antigona paullo post (v. **141**) quærit:

σὺ δ' ὦ γέρον πῶς αἰσθάνει τάδε; ita ut ille quomodo id rescierit denuo explicare cogatur. In quo agnoscitur, ni fallor, anxium prævendi studium, ne, quod Euripides et alibi et ipsarum Phoenissarum v. 751—2 Aeschylo exprobrasse putatur, ipse committeret, ut a veritatis specie abhorrentia commentus videretur.

tur, hæc autem non facile possunt de immolatione non intelligi[1]): nam quæ alia causa cogitari poterat, quare rex tam dolose tantoque mendaciorum apparatu filiam eo arcesseret, ubi maxima fore pericula apertum esset, idque iis viris consciis, quos imprimis summoque studio mortem puellæ expetere senex aut scire aut suspicari deberet; hæc quum ita sint, neque ex his versibus quidquam ad senis interrogationem v. 124 excusandam hauriri possit, ambiguitatem illam, si modo est, in versu 105 sedem habere oportet. Atque est ibi nec delitescens illa quidem sed adeo manifesta et quasi ipsa se præbens, ut mirari liceat quod tamdiu quærentium oculos effugit[2]).

In errorem quodammodo induxisse videtur Marklandi conjectura **ἀμφί** pro **ἀντί** immutantis, quæ etsi vera esse potest, tamen neque, ut non necessaria, tanta editorum consensione merito fuit probata[3]) et Firnhabero pravæ interpretationis supra commemoratæ causa fuit; neque enim aliter sejunxisset quæ tritissima formula continentur. Est autem **συνάπτειν γάμον** conjungere nuptias. Id Agamemno hic se fecisse dicit simulate ac per speciem, ut falsas (**ψευδῆ γάμον**) pro veris nuptiis conciliaverit; nam **ἀντὶ παρθένου** idem est atque **ἀντὶ τοῦ τῆς παρθένου γάμου**, quemadmodum in omni comparationis genere sæpe fit, ut quod pertineat ad alterum cum ipso altero conferatur. Hoc igitur audiens senex Agamemnoni opinatur, ut potiretur filia, cum Achille de hac re convenisse, ita tamen ut hic veras nuptias cogitaret. Deinde quod rex dicit, quomodo res se habeat præter ipsum Achæorum solos Calchantem, Ulixem, Menelaum scire, id senex, ut et consentaneum erat et ut ille volebat, non de nuptiarum conditione solum dictum putat

---

[1]) Quamquam non de hac solum, id quod omissus articulus prohibere videtur, sed etiam de nefaria ratione, qua Agamemno propositum fuerat secutus; ita ut hic prorsus idem sit sensus ac v. 887, ubi senex dicit: *δεινὰ δ' Ἀγαμέμνων ἔτλη*.

[2]) Explicavit eam Hutterus in libello, quem scripsit "Ueber den Prolog und Epilog in Euripides' Tragoedie die Iphigenia in Aulis."

[3]) Unus Ed. Cant. codicum scriptionem defendit.

nec de litteris ad Clytæmnestram missis quæque in iis prætexta erant, sed de vero consilio, cujus causa hæc erant instructa. Neque vero quod is in talem errorem inductus est magis mirum videtur, quam si recte Agamemnonis sententiam percepisset; adeo est ad errorem proclivis ea ambiguitas; nec menti obtusæ senectute et terrore conturbatæ id erat tribuendum, quod, quia ab ipso poeta non satis est præcautum, spectatorum cuique usu venire posset. Itaque ex senis opinione Iphigenia, est illa quidem Achilli verbo et simulatione desponsata, ac nihilominus hic sincere atque ingenue secum actum putat: quare bene se habet quod, auditis quæ in litteris ab ipso perferendis de nuptiarum dilatione scripta erant, senex quærit illa, quæ sunt in v. 124 sq.; non tam quod ob ipsius virginis ejusque conjugii aut ereptam spem aut dilatam Achillem exarsurum putet, quam quod ei mirabilem levitatem contemptionemque, qua Agamemno fidem summo heroi datam fallat, vehementissima hujus ira necessario secutura videtur[1]. — Jam quæ proxime in colloquio se-

[1]) Ne ignoret Agamemno, quam longe a vera aberraverit senis sententia, etiam in v. 124 Hutterus codicum scripturam revocandam esse censet. Nam quod illi habent *λέκτρ' ἀμπλακών* (scribendum scilicet *ἀπλακών*) eo, quoniam sit "sponsa frustratus", "der in Hinsicht der Braut getäuschte", declarari, senem non veras esse sed simulatas nuptias putare; quod contra *λέκτρων ἀπλακών*, quæ est Scaligeri conjectura ab omnibus editoribus probata et recepta, "sponsa privatum" sonare nec quatenus verum ille perspexerit significare; atque ad superiorem sententiam Agamemnonis responsum aptissime esse accomodatum, in quo neget, Achillem conscium esse prætexti connubii. Sed hæc vereor ne subtiliora sint quam veriora. Primum enim, ut *λέκτρον* "sponsam" significare concedam, quod tragicis conjugium vel conjux esse solet, *ἀπλακεῖν* cum secundo casu conjunctum non est "privari"; nisi ubi de iis, quæ quis possidens amittat, dicatur (ut in quattuor Alcestidis locis v. 241, 427, 824, 1083; cfr. *ἁμαρτάνειν* ejusdem fabulæ v. 342, 616, 879); et hoc loco *λέκτρων ἀπλακών* non minus bene esse potest "sponsa frustratus" quam alterum illud. Deinde *ἀπλακεῖν*, ubi cum quarto casu construitur, prorsus aliam significationem habere solet; neque ullo exemplo Hutteri interpretatio est confirmata. Denique Agamemnonis responsum ad utrumque æque est aptum; nam Achilles *λέκτρων ἀπλακών* continuo etiam se *λεκτρ' ἀπλακεῖν*, si modo hoc sensu recte dicatur, sentiat necesse est. Accedit quod, quum

quuntur plana sunt. Nam et Agamemnonis illa verborum eodem redeuntium coacervatio v. 128—32:

ὄνομ' οὐκ ἔργον παρέχων Ἀχιλεύς
οὐκ οἶδε γάμους οὐδ' ὅ,τι πράσσομεν
οὐδ' ὅτι κείνῳ παῖδ' ἐπεφήμισα
νυμφείους εἰς ἀγκώνων
εὐνὰς ἐκδώσειν λέκτροις,

hæc quo spectet apertum est: ut senis errori ex superioris narrationis ambiguitate orto rex plene ac perfecte mederetur. Et quum senex, cui residet ille scrupulus, utrumque *δεινόν* comprehendens, et quod Agamemno v. 98 proposuerat et quod ipse v. 127, dicit v. 132 sq.:

δεινά γε τολμᾷς Ἀγάμεμνον ἄναξ
ὃς τῷ τῆς θεᾶς σὴν παῖδ' ἄλοχον
φατίσας ἦγες σφάγιον Δαναοῖς

facile intelligitur, ex ea, quam nos sequimur, explicandi ratione potiorem vim ejus esse sententiæ, quæ in participium conjecta secundaria videtur.

Sed quæsierit quispiam, quare omnino talem senis errorem finxerit poeta, quum paucis verbis additis ea perspicuitate rem exponere posset, ut nullus dubitationi locus relinqueretur. Id eo consilio factum esse videtur, ut jam hic significaretur efferreturque id, cujus maximum futurum esset momentum ad totius fabulæ argumentum explicandum ad eumque, quo tendebat, exitum adducendum. Nam Achillis interventus, qui, ubi ex illorum artificio suæ dignitati labem adspergi viderit, Agamemnonis et cunctæ Græciæ voluntati obsistere constituet, is est, qui et coactum Iphigeniæ sacrificium impedit et voluntarium facit. Sed de hac re pluribus infra dicetur.

Quoniam igitur de iis, quæ in Agamemnonis orationem ejusque cum reliquo prologo convenientiam erant allata, satis

---

liberiores anapæsti Agamemnonis orationem sequantur, hi tamen omnes regis sunt, cujus permoto animo optime conveniunt; senex legitimos servat. — Et v. 547 eodem errore libri exhibent *μαινομέν' οἴστρων*.

dictum est, duo restant argumenta, quæ satis levia mihi quidem videntur, sed negligere propter magnum auctoris nomen religioni habui. Matthiæus[1]) enim in anapæstis iambos sequentibus primum reprehendit, quod Agamemno quæ in litteris sunt seni aperit; idque ex Iph. Taur. v. 760 sq. expressum suspicatur: nam in hac Iphigenia, cur id fiat, justam deesse causam: deprehensa enim epistola, ipsum nuntium ab itinere peragendo prohiberi nec quidquam prodesse, quod animo teneat quæ litteris sunt mandata. Absurdum etiam illud judicat, quod senex quærit, quomodo fidem suæ orationi apud Clytæmnestram conciliet; apertum enim esse, tradita reginæ epistola, nihil de fide sua posse dubitari. Facilis et brevis est responsio. Certe non probabilior est Iphigeniæ opinio, fieri posse, ut Pylades mari proficiscens, amissa epistola, Argos perveniat, quam Agamemnonis, ut famulus suus terra iter faciens; id quod ipse eventus docet, nam epistolam huic eripit Menelaus nec tamen impedit, quominus ire pergat: et hoc periculum epistolæ eripiendæ non item Pyladi erat timendum, cetera in utroque paria. Quamquam nihil periculi Agamemnonis animo obversari reperimus, sed alia hic est causa, de qua nihil cogitabat Iphigenia; nam eo spectabat hæc communicatio, ut quæ in epistola de repentina consilii mutatione essent scripta, quum improvisa et inopinata Clytæmnestræ dubitationem suspicionemque movere possent, famulus ea præsens affirmaret. Atque ex eodem hujus metu etiam alterum illud a Matthiæo reprehensum fluxisse apparet; neque enim sua verba neque epistolam, quæ supposita posset videri, in tam nova re tamque inexspectata satis a suspicionibus tuta fore putabat. Itaque monet eum Agamemno de sigillo epistolæ adhærente, quod certissimum esset testimonium[2]).

Jam criminibus, quæ in prologum hujus fabulæ collata sunt, omnibus, quæ quidem ad interpolationem evincendam valere

---

[1]) Vide l.l.

[2]) Hoc signo Soph. El. v. 1222 Orestes sorori persuadet, desideratum fratrem se ei adesse.

possint, propulsatis; ut nostræ defensioni ne hæc quidem confirmatio desit, eorum sententias breviter examinabimus, qui aliam quandam fuisse genuinam prologi formam contenderunt. Nec tamen aut Matthiæi judicium, qui »prologum longe aliter ab Euripide constitutum fuisse, quam ut nunc legitur», censet, aut ceterorum, qui alias prologi partes ex aliis fontibus ducentes nihil de singulis versibus statuerunt, libet tentare; nam et in his judiciis, quæ nihil certum ac definitum constituant, absurditas repugnantiaque commode effugitur et multa esse, quæ fieri potuerint, haud ægre concedimus. Quamquam id quidem horum omnium conjecturis obstat, quod tot antiquorum scriptorum auctoritate prologus, qualis ad nos pervenit, confirmare videtur[1]). Atque hæc præcipua fuit causa, cur plerique Bremium improbarint[2]); qui Boeckhii illam conjecturam, cujus supra mentionem fecimus, amplexus, in altera hujus tragoediæ recensione paucis mutatis omissum fuisse prologum iambis scriptum putabat[3]). Sed etiam aliam difficultatem in Bremii sententia inesse vidit Hermannus[4]), qui sequentes anapæstos ita cum iambis cohærere ostendit, ut recisis his necesse sit magnam partem eorum, quæ iambis continentur, anapæstis ipsis fuisse inserta. Neque vero ob eam solam causam, ut prologi partes inter se congruant, ii soli iambi, qui ad hoc efficiendum opus sunt, sed omnes iambi totius fabulæ causa mihi videntur desiderari. Itaque quod contra Bremii primum argumentum disputantes jure quodam nostro, quia non erat negatum, sumpsimus, etiam ad ipsam fabulæ actionem ejusque rectam intelligentiam orationem iambis scriptam opus esse, id jam videbimus.

---

[1]) V. 17—20 et 28—33 Stobæus, 17—19 et 29—33 Plutarchus, 160—162 Orion laudarunt; 8—9 et 138 latine expressit Ennius; ad 23 respexit Macho Comicus. Ex iambis 71—77 Clemens Alexandrinus, 80 Aristoteles, 84 Eustathius attulit. Vide Herm. ad hos versus et Firnh. p. XXXI.

[2]) Herm. Præf. p. VIII, Firnh. p. XXVI, Hartung. Ed. Lat. p. 83, Ed. Cant. p. 221.

[3]) Ita Hermannus. Si Firnhabero (p. XXX) credimus, anapæstos Bremius ad priorem recensionem referebat.

[4]) Præf. p. XI—XII.

Magnum est enim ac necessarium in tragoediis, ut qui malis illis feriantur non mera aliorum crudelitate et injustitia opprimi videantur, sed his quoque aliquid juris reservetur; sin minus, ut ipsi se non putent eo destitutos. Aliter enim ex hac parte foedum erit ac detestabile spectaculum, quod quis aversetur, quamvis in illo, qui malis affligitur, præclara virtutis species alliciat. Neque Euripidem fugit, quantum hujus tragoediæ interesset, quo jure Græci Aulide considentes innocentis puellæ mortem flagitare viderentur. Itaque jam initio his iambis curavit, ut totius fabulæ consilium recte perspiceretur. Quod factum est narratione repetita inde ab jurejurando, quo Græciæ principes astrinxerat Tyndareus, et ab injuria Græcorum nomini raptu Helenæ a barbaris illata. Ita enim hoc bellum, quod et religio imperet et omnes Græciæ gentes ad libertatem servandam injuriasque ulciscendas suscipiant, tale nobis videtur, cujus persequendi causa, si res postulet, nihil non audendum sit atque adeo ipsius virginis mortem ducamus necessariam. Quod contra si Græci ferocia et laudis studio concitati ideo solum, ne quid suæ cupiditati obstaret, tantam victimam postularent[1]), etiamsi sua sponte Iphigenia et erecto animo se pro patria devoveret, tamen injusta cædes totam tragoediam corrumperet[2]); cui neque præclara morum notatio nec ceteræ virtutes insignem illum locum, in quo multi eam posuerunt, servare possent. Nam neque pulchræ partes ipsæ totum corpus pulchrum efficiunt, neque personarum bonitas bonam tragoediam, nisi idoneo argumento comprehenduntur[3]). Quare quum tantam vim habeant illi iambi, qui eos abesse voluerit, male is mihi videtur poetæ laudi consuluisse.

---

[1]) Ita fere rem exposuit Hartungus Ed. Lat. p. 88.

[2]) Splendidior fortasse esset Iphigeniæ devotio et minus habere offensionis videretur, quam Polyxenæ in Hecuba fabula trucidatio, sed ex hac parte graviori vitio laboraret; nam Polyxenam utique Græci necessitate coacti immolare finguntur.

[3]) Aristot. Poet. c. VI, postquam tragoediæ partes proposuit, dicit §. 12: *μέγιστος δὲ τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις, ἡ γαρ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν οὐκ ἀνθρώπων ἀλλὰ πράξεως* — qua sententia uberius explicata pergit §. 19: *ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας.*

Hartungus autem (nam hujus est altera memorabilis conjectura, quam postea ab Hermanno ipso probatam esse reperio) quum iambos neque anapæstis intermixtos stare neque deleri posse existimaret, ante omnes anapæstos eos collocavit. Cui quum ab quibusdam[1]) oppositum esset, sic prologum effici ceterorum Euripidis dissimilem, in quibus omnibus ab initio statim eum, qui loquatur, indicare dicebant qui sit, horum dubitationem merito ille contempsit[2]). Sed aliæ sunt eæque multo graviores. Primum enim, quod contra Bremianam conjecturam Hermannus, idque ut ipsi Hartungo probaretur[3]), disputavit, id etiam in hanc valet et multo majorem habet difficultatem. Nam Bremio nihil obstabat, quo minus in iamborum locum tot anapæstos insereret, quot sententiarum nexus requireret: Hartungo non item: duobus enim locis idem narrare non licet. Nisi forte dimidia iamborum parte in initio posita, alteram in anapæstos commutatam loco suo relinquere placet. Id Hartungus nec fecit nec potuit facere: sed satis hanc tantam lacunam quattuor versiculis expletam putabat, per quos Agamemno seni imperat, ut litteras perferat ad reginam et quæ in illis sint scripta, se cum eo communicaturum dicit[4]). Unde igitur senis quæstio v. 124? An conjugium illud huic cognitum esse credimus? Id non modo ab omnibus fabulis abhorret, in quibus nihil sine idonea causa fieri aut dici liceat, maximeque ab Euripideis, quem constat id imprimis omni studio elaborasse, ne quidquam obscurum, dubium, temere factum viderêtur; sed repugnat etiam iis, quæ paullo

---

[1]) Vide Firnh. p. XXVIII.

[2]) Vide Hermanni hujus argumenti refutationem ab Hartungo Ed. Germ. p. 175 allatam. At eam si omnibus probari oportet, quis ferat, quod ipse Hartungus addit: "gesetzt aber diese Einwendung wäre richtig und wäre durch Hermanns Berufung auf andere Prologe von gleicher Einrichtung nicht genugsam widerlegt, so folgte daraus bloss, dass man noch die Wegschneidung zweier oder dreier Anfangsverse annehmen müsste, keineswegs aber, dass die Voranstellung der Trimeter unstatthaft sey."

[3]) Vide Ed. Lat. p. 83.

[4]) Ed. Germ. p. 188.

ante Agamemno dixerat, præter ipsum tres tantum viros, Menelaum et Calchantem et Ulixem, hujus rei conscios esse. Nec minus absurdum est quod dicit senex v. 133, quum non significatum sit. quomodo ille regis dolum perspicere potuerit. Contendit Hartungus[1]) summæ esse stupiditatis, si senex, quum Iphigeniam audisset inscio Achille in illius matrimonium arcessitam esse, simulque sacrificium comperisset a Calchante imperatum, si, quod verum esset regis consilium, non intelligeret. At neque tam validæ sunt illæ causæ tamve manifesta conjectura, ut parricidii crimen in herum conjicere non dubitaret, et, quod maximum est, unde tandem illud scimus, quod Hartungus sumpsit, Calchantis responsum seni esse cognitum? Consentaneum est, inquiet. Minime vero: præsertim quum ex v. 518—31 confirmatum videamus, quod etiam ex Agamemnonis oratione sumi potest, non minus de illo responso quam de iis, quæ post facta sunt a quattuor illis viris ceteros fuisse celatos; e quo numero nihil est, cur senem eximamus.

Neque vero hoc tantum nomine laborat Hartungi ratio; sed etiam illi anapæsti, qui in libris ante iambos positi sunt, vereor ne multum detrimenti capiant. Quorum sententiam nexumque supra ostendimus; nec credo, quemquam fuisse, qui, mirus ille interruptusque Agamemnonis sermo quam originem haberet, rationem reddere conatus ad dubitationem animique angorem, quibus rex prematur, sibi refugiendum non viderit. Nec aliam causam ipse quæsivit Hartungus. At quod in nostro versuum ordine jure ac commode fit, quoniam rex, ut primum in scenam prodiit, vehementer commotus apparet, id longe aliter est apud Hartungum. Nam per totum prologum quum tranquillum certumque consilii Agamemnonem viderimus, nulla est causa, cur subito in tantam illam trepidationem incidat. Absurdum igitur accidit, quod stellæ nomen quærit, quam jamdudum aspicere et agnoscere potuerit: absurdum, quod nunc demum noctis tranquillitatem, ventorum aviumque silentium animad-

---

[1]) Ed. Germ. p. 189.

vertit: absurdum, quod in tantis temporis angustiis, postquam litteras transmittere constituit, tam late ac diffuse de diversa nobilium et ignobilium conditione disputat; mirum denique ac pæne ludicrum, quod ad senis verba v. 28—48, quæ, ut novas magnasque res exspectemus, faciunt, Agamemno ea, quæ Hartungus inseruit, respondet Accedit quod contra morem Euripidis, prologi iambis pronunciatis, Agamemno in anapæsticum numerum transit. Levius hoc quidem, sed quod iis non mediocre pondus habere debeat, qui, »ut justus prologus Euripidi restitueretur», id est, ut ne a ceterarum ejus fabularum forma in hac recederetur, tantam eversionem facere non reformidarunt.

Sed ipse hic prologus qualis sit quoque pacto in ceteros Euripidis quadret, videndum est. Vereor enim, etiamsi per anapæstos daretur, ne ille quem sibi arroget locum non possit tueri. Nam alienissimus est a vehementissimo illo animi motu, quem in Agamemnone et res suæ postulant et senex præterita nocte intuitus est et nos per totam tragoediam manere videmus. Dicit quidem Hartungus, si hanc actionis tragoediæ partem esse velimus, Agamemnonem in hac oratione superiorem dubitationem deponere et firmum consilium capere putandum esse; sed nec trepidationis nec transitus vestigia contigit mihi, ut deprehenderem. Restat igitur excusatio ex communi Euripideorum prologorum natura petita, quos extra positos ad ipsam fabularum actionem pertinere negat. Atque hoc quidem, ut ante diximus, ex parte verum est. Sed non abutenda est illa prologorum licentia, ut nihil in iis observatum atque spectatum putemus, nisi ut quæ scire spectatorum interesset explicarentur. Nam si ita esset, cur poeta alios prologos aliis personis detulit, non aut ipse aut per alium quemlibet (ut nunc interdum fieri videmus) hoc recitandi negotium peregit? Quod quum non fecerit sed eorum aliquo ad hanc rem usus sit, qui rei agendæ uno alterove modo essent participes, quæ dicerentur ad eum, qui diceret, ita accomodanda erant, ut non a suis moribus abhorrentia loqui videretur; idque eo magis necessarium fuit, ubi is, qui prologum ageret, in po-

steriore fabula personam aliquam sustenturus esset; nam non solum quid universe illius mores poscerent, considerandum erat, sed etiam quam animi affectionem in eo præsens rerum status requireret, observandum; maxime vero hoc necessarium fuisse apparet, ubi quis prologo acto continuo partes suas persequeretur. Neque vero hanc rem usquam alibi ab Euripide neglectam fuisse puto; quod si Hartungo audiamus, in nostra fabula commissum est. Nam frigidiora sane sunt quæ dicit Aagmemno v. 70 et 86, quæ sola aliquem animi motum produnt, quam ut hæc oratio illius personæ accomodata dici possit. Conferas velim prologos Andromachæ, Phoenissarum, Herculis Furentis, Electræ, quos qui agunt, ut hic Agamemno, mala sibi vident impendere; senties, quam diversus sit ab hoc illorum sonus. Et quum primi versus præcipuam vim habeant, quoniam iis indicatur fere, quo animi affectu reliqua expositio proferatur; in illis prologis Euripides aut exclamationibus aut perpetuis sententiis curavit, ut quod personæ conveniret servaretur. Contra quæ hic Agamemno ita incipit narrationem, quasi illæ res nihil ad eum pertineant. Objiciet Hartungus prologum Iphigeniæ Taur., quod quasi exemplar proponit, ex quo horum naturam optime intelligi dictitat [1]); at aliud est ex incerto somnii testimonio suspicari, aliud veram calamitatem videre imminentem eamque sua culpa adductam. Itaque hic prologus sedate et æquabiliter fluens, quo remotior est ab Agamemnonis animo, eo magis mihi videtur ab Euripidis arte et consuetudine abhorrere.

Plus justo fortasse operæ dedisse videbimur, ut illi viri refellerentur, præsertim quum acta quodammodo egerimus; nam si, quod ostendere conati sumus, prologus, qualis librorum fide traditus est, bene se habet, eo ipso illorum conjecturæ sunt refutatæ. Sed et ad codicum auctoritatem aliquid incrementi redundaturum putabam, si illorum conatus vani reperti essent, et illud perspicuum fieri volebam, quam arduam rem quamque periculosam ii suscipiant, qui quod

---

[1]) Ed. Lat. p. 84; Germ. p. 176.

præclare ac prope perfecta ars conglutinavit disjicere et in aliam formam componere audeant.

Transimus ad extremam hujus tragoediæ partem, quam, duce Porsono[1]), plerique non modo ab Euripide sed ne ab antiquo quidem illius ætatis scriptore profectam esse consentiunt. Quorum nonnulli, quamquam epilogum aliquem ab Euripide scriptum fuisse non negant, tamen præter necessitatem additum existimant, quod sine ullo fabulæ detrimento abesse possit; jam enim argumentum, quatenus ad scenam pertineat, ad finem perductum esse nec, si quid subjiciatur ultra, fieri posse, quin metus ac miseratio, quæ hic mirum quantum excitata sint, remittantur[2]). Quibus etsi concedendum est, in recentioribus tragoediis, ubi res quasi intus magis in hominum animis aguntur eoque major formæ libertas permittitur, quemadmodum omnino in liberalibus omnibus, quæ vocantur, artibus, recentior ætas sæpe satis habere cogitur, si materia pro infirmitate sua significandi potius quam exprimendi negotium sustineat: his igitur in tragoediis si finem illum, quo tendunt omnia, spectatoribus eripi et occultari nonnumquam et posse et debere concedimus, tamen nullo modo id fieri licet, nisi in ipsa tragoedia ea, quæ celantur, ita sunt parata atque adducta, ut necessario et sua sponte secutura videantur. Quod in hac fabula non est factum. Nam ut ea prætermittam, quæ ad interio-

[1]) Vide Suppl. Præf. Hec. p. XXI. "Quippe qui persuasus sim, totam eam scenam abusque versu 1541 spuriam esse et a recentiore quodam, nescio quando, certe post Æliani tempora, suppositam."

[2]) Schillerus, quum hanc tragoediam germanice redderet, epilogum omisit, hoc adscribens: "Hier schliesst sich die dramatische Handlung. Was noch folgt, ist die Erzählung von Iphigeniens Betragen beim Opfer und ihrer wunderbaren Errettung." In eadem fuisse Bremium sententia docet Matth. Tom. VII. p. 407. Neque aliter judicat Ed. Cant. p. 231: "although the introduction of a Divinity at the end of his place was a frequent practice with our author, and although he might in this case wish to reconcile the fable with that of his Iphigenia in Tauris, yet such a conclusion must have inevitably weakened those feelings of pity and admiration, wich he had already so powerfully excited. The Tragedy, as we now have it, stands in need of no addition whatever etc."

rem fabulæ rationem pertineant, de quibus infra dicetur, ne de rei exitu certi esse possemus, diserte ipse vetuit poeta, quum Achillem ad sacrificium adesse et propositum tenere juberet (v. 1422—33). Addi potest, quamquam extrinsecus petitum est, quoniam duplex de Iphigeniæ fato obtineret fama, quum alii, ut Homerus, Æschylus, vere immolatam, alii, ut ipse Euripides in Taurica Iphigenia, morti ereptam tradidissent, si deesset epilogus, incertos spectatores fuisse futuros, utrum hic factum putarent. Ut vero recentiorum tragoediarum legibus convenienter hujus epilogi omissio fieri potuerit, quum de Græcorum aliqua tragoedia quæritur, harum ratio est consideranda. Erat autem hoc illorum hominum proprium, quod, quam pulchritudinis speciem animo concepissent, eam, quia simplicior erat neque copia ac varietate sua materiæ, qua exprimenda erat, facultatem superabat, tali forma induebant, quæ perfecte et ex omni parte in illam quadraret. Qua re quum in eximia illa statuarum præstantia maxime essent insignes, tum ad ceteras artes transferebant. Atque tragoediam, quæ omnium esset artium quædam comprehensio, totum quiddam et absolutum et summa omnium partium æquabilitate et concentu temperatum ipsa sua forma ac specie afferre voluerunt. Itaque »Græcis non satis erat significari eventum rei, sed ipsum coram videre vel ex iis, qui aderant, audire volebant«[1]). Neque vero Euripides, etsi in tragoedia multa novavit et a pristina illa severitate haud paullum recessit, in hac parte quidquam defecit, qui in exitu tragoediarum non modo nihil significatum tantum reliquerit, sed sæpe etiam aliena adscierit, quæ fabularum fines egrederentur et in prædictione rerum futurarum et Atheniensium laudibus celebrandis versarentur. Quo magis perspicuum est, in hac tragoedia Euripidem, quod et recentior fabula desideret et Græcorum ars posceret et flagitaret ipsius consuetudo, ut epilogum adderet, id omittere non potuisse.

Quod si epilogum aliquem ab Euripide scriptum fuisse, quod quidem plerique pro certo habuerunt, non dubitamus; at

[1]) Hermanni contra Bremium judicium. Matth. l.l.

utrum Dianam an nuncium (nam ab alio quoquam fieri potuisse negant) in hac tragoediæ parte induci oportuerit, magna dubitatio est. Dianam probat Hermannus[1]). »Nam si nuncius rem referret, nihil ille nisi quod actum esset poterat narrare. Ita acciperemus, per miraculum Iphigenia e conspectu sublata, cervam ad aram jacuisse, nesciremus autem, quid factum esset virgine: id quod prorsus a more et lege Græcæ tragoediæ abhorret. Quocirca Euripides, ut satisfaceret spectatoribus, Dianam introduxit, idque haud dubie statim post illum chori pæanem[2]), quæ miseram matrem consolaretur, non morituram esse filiam affirmans. Hæc igitur non solum de sacrificio explicabat, qua in oratione illa dixit, quæ sunt apud Ælianum[3]), sed commemorabat etiam ministerium in templo suo in Tauris, cui Iphigeniam destinasset: neque improbabile est, adjecisse eam alia quoque, quæ ad Agamemnoniæ domus fata apertius tectius significanda pertinerent.» Eodem redit Hartungi judicium[4]). Quomodo sacrificium perpetratum sit, ut sciamus, jam nihil opus esse, quum ex superiore fabula quod satisfaciat cognitum habeamus; scire enim nos, Achillem armatum ad aram adstiturum, ut Iphigeniam, si consilii eam poenituisset, defenderet liberaretque, Iphigeniam vero fidem ejus non esse imploraturam, ut quæ quasi ovans ad sacrificium abierit. Quod reliquum sit, Græcos virginem esse putantes, dum illa per aëra ad Tauros abripiatur, cervam a Diana suppositam immolare et statim post sacrificium secundos ventos a Diis mitti, et propter hoc sacrificium prosperum eventum bello futurum esse, hoc non potuisse ab homine nuncio, quippe qui nesciret, narrari sed a Deo, aptissime a Diana ad Clytæmnestram, dici oportuisse.

---

1) Præf. p. XXVII.

2) V. 1521—31. 3) Vide p. 4.

4) Vide p. 270. Ed. Germ. Quibus in priore editione usus erat argumentis, ea in hac partim paullum immutavit, partim uberius explicavit, partim nova adjecit. Quare in iis, quæ sequuntur, hanc tantum respiciemus.

Hæc fere sunt, quibus nostrum epilogum vel propter personam, quæ eum agat, non germanum esse, neque Euripidem facere potuisse, quin Dianæ has partes tribueret, efficere conantur. Quorum neutrum satis firmis nititur argumentis. Nam quæ Deæ interventum desiderare dicunt, ea ejusmodi sunt, ut partim a nuncio fieri possint, partim ad hanc tragoediam nihil opus sint. Namque Iphigeniam, quum in generoso consilio ad extremum perseverasset, tum servatam esse neque Deam innocenti sanguine contaminatam, hoc ut explicaretur, et fabulæ ratio poscebat et unusquisque spectatorum cupiebat. Utrum in coelum et Deorum coetum virgo recepta esset, quod putat nuncius et affirmat Agamemno, an in Chersonesum Tauricam transvecta, ut ibi templo Dianæ præesset, quod ex Taurica Iphigenia, quam fabulam docuerat paucis ante annis idem poeta, sumi poterat; de his rebus neminem credo nimis curiose quæsiisse, quum eam, sive in coelo esset sive in terris, Deorum quodammodo sociam esse et postea divino honore celebratam[1]) sciret. Deinde si quid de futuro bello prædicendum fuit, id quoque, ut satis esset, per nuncium fieri potuit, et re vera factum est[2]); neque enim est reprehendendum, quod is de secundis ventis tantum et felici profectione, quæ Iphigeniæ sacrificio parta sint, exponit, nihil de belli eventu, qui longe aliis sit causis efficiendus. Denique quod de futuris Agamemnoniæ domus fatis nihil ab hujus epilogi scriptore potuit significari, laudi potius tribuendum esse puto, quod non tranquillitatem, quam attulerat hujus tragoediæ exitus, inutili malorum, quæ huc nihil pertineant, commemoratione turbavit. Nec magis verum est alterum illud, quod contra nuncii personam disputat Hartungus, ea dicens, quæ ab eo afferri possent, jam ex præcedentibus ipsa sequi neque ullam desiderare explicationem. Quis enim, qui Iphigeniam amore vitæ flagrantem repente mutato animo cum gaudio jugulandam se tradere audisset, præsertim quum levitatem adolescentiæ secum reputaret, non eadem, qua Achilles, suspi-

---

1) Vide I. T. v. 1462 sq. 2) V. 1591—1601.

cione angeretur? Neque tamen de Iphigenia solum et Achille plura dicenda erant; eadem est Agamemnonis causa. Fuerat enim ille per totam fere tragoediam tanta inconstantia tamque vagis consiliis, ut neque ipse quorsum se esset conversurus scire videretur neque spectatores prævidere possent; quum autem in extrema illa oratione, qua ad conjugis exhortationem ac filiæ preces responderat, durus ac pæne sensus expers visus esset[1]), sive simulate locutus putandus erat, pristini erga filiam amoris testimonium requirebatur, sive omnis pietatis oblitus, filiæ generositate fractum se præbere debebat. Hæc si non poterant a Dea explicari[2]), quin ad simplicis nuncii gradum descenderet, neque fieri licebat, ut, quemadmodum ab Euripide institui solet, narratione a nuncio facta Dea introduceretur ea prædicendi causa, quæ ab doctissimis illis viris ad hanc tragoediam rite concludendam necessaria putantur, rectius poeta nuncium delegisse videtur, cui hæ partes darentur[3]). Quamquam Dianæ epilogum deferri ab Euripide potuisse non ausim omnino negare[4]), quum

---

[1]) Hermannus de hac oratione p. 125: "Ceterum tota Agamemnonis oratio frigidior est, quam velimus, præsertim prægressis tam blandis et mollibus precibus filiæ. Decebat eum vehementius commotum esse, quum necessitate compulsus has preces irritas sinere cogebatur." Quæ vituperatio justo epilogo elevari potuit.

[2]) Matthiæus p. 322 probato Porsoni de epilogo judicio, postquam Aelianeos versus, si quidem huc referantur, eam repugnantiam habere ostendit, quod Diana quæ ipsa Græcis ignota esse velit et ignoret Orestes in Iphigenia Taurica narrare fingatur, sic pergit: "Igitur et illud abhorret a more Euripidis, Deum aliquem ea, quibus fabulæ ipsius exitus continetur, prædicentem inducere, quum semper narrari faciat quæ extra scenam gesta sunt, nec ulla causa excogitari potest, cur in hac una fabula a consuetudine sua discesserit." Itaque illos versus alius cujusdam potius quam hujus Euripidis esse suspicatur.

[3]) Etiam aliam rem attulit Firnhaberus (p. 291), quæ, quamquam magis ad externam Euripidis fabularum *οἰκονομίαν* pertinet, non est prorsus contemnenda. Sunt enim in hac fabula sublato epilogo pauci tantum versus (414—39) nuncii personæ tributi, cui constat quantas et quam diligenter elaboratas tragoediarum partes Euripides dare consueverit.

[4]) Nam neque persuadent, quæ Kiefferus, citatus Firnhabero p. 283, ex ratione, qua cum posteris Atridarum fatis hoc sacrificium cohæret,

videam, quanto studio is, ut splendido exitu fabulas exornaret, deum ex machina arripuerit. Sed, utrum horum maxime placuerit, illud certe concedi necesse erit, potuisse a nuncio epilogum agi, et idcirco, si hæc tragoediæ pars spuria judicanda sit, criminibus ex modo, quo ille rem peregerit, sumtis eam damnationem fieri oportere. Jam igitur de vitiis, quæ in epilogi tum rebus tum verbis reperta sunt, videbimus, qualia sint et quo jure alienam manum coarguere existimentur.

Atque primum quidem ab Hartungo reprehenditur, quod continuo post Iphigeniæ discessum nuncius in scenam prodiisse fingatur, quum tempus, quod requireret sacrificium, quamvis breve esset, chori aliquo cantico expleri oporteret. At hæc ex iis argumentatur, quæ ipse in proximis melicis constituendis sibi permisit, ubi, violentissima versuum transpositione, mutatione, expulsione quum extremum chori carmen disjecisset et Iphigeniæ versibus choricos immiscuisset,

---

disputat, dicens, si Dianæ Iphigeniam ad se receptam esse ipsa aperuisset, Clytæmnestræ gaudii, non odii in maritum eam causam fuisse futuram, quod contra, si nuntius rem narrasset, et dubitationi et ultioni locum relinqui. Constat enim, quanta cum licentia in fabulis antiquitatis mutandis transformandisque Euripides egerit. Neque plus valent quæ ipse excogitavit Firnhaberus. Ubi enim apud Euripidem hominum immolationes fiant, ibi ait non esse misericordes Deos. Quod si hic factum antiquitas tradidisset, tamen aliud esse, Deam ipsam misericordiam suam præstare, aliud, virginem per miraculum servatam videri. Si Diana ipsa iræ remissionem commemoraret, quamnam tantæ iræ, quæ non nisi innocenti sanguine placari posset, causam diceret? Quid se ad misericordiam commovisse? Non lamentationes filiæ sed magnanimitatem? Hujusmodi quæstiones, si res a nuncio narrentur, nemini in mentem venire neque quidquam Deæ dignitatem imminui. In quibus etiamsi Dianam Agamemnoni iratam esse concedam, quod nullo modo certum est (nam neque ex hac fabula intelligi potest et Iph. Taur. v. 20 votum quoddam Agamemnonis sacrificii causam fuisse dicitur), sed neo, quomodo illa aliorum Deorum in similibus causis durities Dianæ clementiæ obstet, assequor, neque quidquam de divina dignitate detractum puto, si Dea aperuisset (quod quidem nemini poterat mirum videri), numquam se Iphigeniæ mortem voluisse, sed hæc omnia, ut Agamemnonem puniret, paresse.

ut strophas efficeret, chorum cum Iphigenia abire statuit. Quod vereor ut cuiquam probari possit. Neque omnium adhuc commentatorum quemquam dubitasse reperio, quin Iphigenia post v. 1509, finito alterno illo cantu (quemadmodum fit in Sophoclis Antigona) comitantibus Agamemnonis famulis, quos v. 1463 se sequi jusserat, de scena discesserit, chorus autem in orchestra remanens carmen, quod inde sequitur, cantaverit. Quod si cui hoc carmen brevius videtur, quam ut, dum canatur, omnia, quæ a nuncio relata sunt, fieri potuerint, ea res non multum habet difficultatis. Nam ut in nostris theatris aulæum demissum temporis aliquod spatium præterire significat, quod quantum fuerit ex sequentibus intelligimus, eodem modo de chori canticis judicabant Græci neque ex eorum longitudine præterlapsi temporis spatium demetiebantur[1]). Neque vero mirandum, si, quod fere facere solent nuncii, quum is, cujus causa venerunt, non in scena versatur, ut a choro, ubi sit, quærant, idem non hoc loco fieri videmus: erat enim hic nuncius, ut ipse paullo infra testatur, ex iis, qui Iphigeniam abduxerant, ita ut reginam potuisset videre in domum se abdere[2]).

At hoc ipsum contra naturam fictum putat Hortungus, quod Clytæmnestra in domum abiit, non in scena remanens oculis utique filiam prosecuta est: nec minus inepte esse institutum, quod, quum a nuncio evocata rursus in scenam prodiit, ne novum ille malum afferat, magnopere se timere dicit, quum nihil habeat, quod ultra timere possit; in eoque ait apertam cerni Hecubæ imitationem, quæ adveniente

---

[1]) Cum postremo hujus fabulæ cantico conferantur ea, quæ sunt Herc. Fur. v. 875 sq., Suppl. 365 sq., quorum alterum paullo longius, quod non strophis sibi respondentibus concluditur, alterum, quod brevitate superat, præsidio esse potest. Et inter hæc carmina admodum brevia res, quæ satis longum tempus requirunt, gestæ esse finguntur. Andr. 1010 sq. uti nolumus, quum Orestem cædi Neoptolemi interfuisse, non constet: negant præter alios Lobeckius et Hermannus, vide Herm. ad Andr. v. 1085.

[2]) Phoen. v. 1067 nuncius ad domum regiam accedens Iocastam exire jubet, quamquam nulla causa indicata, cur eam intus esse putet.

Talthybio, ut filiæ mortem narret, eodem se premi timore dicat. Horum unum ex eodem fonte atque illud in principio positum derivatur (patet enim, si proximum chori carmen integrum servatum sit, tempus non defuisse Clytæmnestræ et filiam oculis prosequendi et in domum redundi) ac ne ipsum quidem verum est. Nam consentaneum naturæ est, homines summo dolore oppressos, ubi nihil amplius se profecturos intelligant, et adspectum ejus, quod doleant, et hominum oculos refugere[1]). Alterum autem errorem continet etiam apertiorem, nec facile quemquam fugisse credideram, homines calamitate perculsos, ubi aditus spei nondum tempore factus sit, quidquid novi acciderit, omnia fere ad mala referre. Quare hujus epilogi scriptori nihil opus erat ad Hecubam refugere, sed ipsius et aliorum hominum naturam inspicere. Idque eo magis, quod in Hecuba nihil simile reperisset, nec, credo, reperiet quisquam, nisi præjudicata opinio ingenii aciem exacuerit.

Jam priusquam ad ea, quæ sequuntur, progredimur, pauca præmonenda videntur tum de universo nuncii orationis consilio, tum de verborum similitudine, quæ huic cum aliis Euripidis locis imprimis Hecubæ intercedit, ne sæpius eadem repetendo nimis molesti simus. Atque quum tres essent, de quibus ut in epilogo explicaretur ipsa fabulæ natura postulabat, Iphigenia, Achilles, Agamemno, de illa, ex qua horum agendi ratio penderet, videndum est, quomodo res institui debuerit. Iphigenia igitur, quam neque patriæ gloria ac libertas neque periculum, quod a congregatis Græciæ gentibus incredibili pugnandi cupiditate incensis sibi suisque impenderet[2]), ad mortem oppetendam permoverat, quum Ulixem, ut se abstraheret, cum militibus appropinquare audisset, quumque Achillem, lapidibus Græcorum vix elapsum, ut se nullo necessitudinis vinculo cum ipso conjunctam ab indigna nece servaret, majora etiam pericula

---

[1]) Ita Heracl. v. 604, quum Macaria obducitur, Iolaus caput suum operiri jussit.

[2]) Vide quæ admonet Agamemno v. 1255—75.

adire et universæ Græciæ solum se objicere paratum vidisset; tum magna subito in virgine facta erat mutatio[1]. Nam et vera dixisse patrem manifestum erat et mors Achilli imminebat et generosi adolescentis exemplum, quid esset nihil timentem honesta defendere, propulsare indigna, ostendebat. Jam igitur, quid sui esset officii, perspiciens non modo patris voluntatem justam esse et Deæ numini parendum confessa erat, verum etiam felicem se prædicaverat, cui contingeret, ut pro patriæ gloria ac libertate ad mortem se offerens æternam laudem consequeretur; nec antea magis vitæ fuerat amans, quam quanto inde studio mortem expetiverat. Itaque nec matris precibus cesserat neque ab Achille hinc mortis terrores illinc illustrem sui conjugii sortem ostentante potuerat revocari; omni vitæ spe repuditata lætans ovansque ad sacrificium abierat. Hucusque igitur fortis constiterat animus: nihil inconstantiæ, nihil timoris, nihil infirmitatis. At nondum nisi verbis fuerat tentata; quod gravissimum maximumque erat restabat, ut ad finem in eadem constantia perseveraret, ut extremas mortis minas nihil reformidaret, ut diros sacrificii apparatus rectis oculis intueretur, denique ut, omni humanæ naturæ infirmitate de-

---

[1]) Hoc constat ab Aristotele reprehensum esse Poet. cap. XV, ubi de iis disserens, quæ in moribus describendis potissimum observanda essent, quum quartum voluit esse *τὸ ὁμαλόν· κἂν γὰρ ἀνώμαλός τις ᾖ ὁ τὴν μίμησιν παρέχων καὶ τοιοῦτον ἦθος ὑποτιθεὶς, ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον δεῖ εἶναι*, exemplum, quod in hoc præceptum peccatum esset, Iphigeniam posuit Aulidensem: *οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρᾳ.* Quod summi philosophi judicium Schillerus, Hermannus, alii merito improbarunt. In Menelai personam potius illa vituperatio cadere videtur, qui, quum acerbissima objurgatione Agamemnonem ad sacrificium compulerit, audito Iphigeniæ adventu, adeo fratris lamentationibus commoveatur, ut suam operam offerat ad sacrificium prohibendum. Placet igitur Editori Cant. (vide p. 109), Menelaum, qua improbitate semper sit apud Euripidem, caritatem simulare, quum sacrificium jam non averti posse intelligeret. Ac profecto si quis consideraverit, quales mores Menelaus et in hac fabula (quum alibi tum v. 519) prodat et in Helena (vide v. 1043) et in Andromacha et in Oreste (cfr Arist. Poet. c. XV, 2), non absurda videbitur illa conjectura, etiamsi non necessaria.

posita, perfectæ cumulatæque virtutis daret documentum. Nam sic tantum exitus ille, ad quem tendit posterior tragoediæ pars, adduci poterat: sic tantum recte fingi, Iphigeniam morte liberatam esse et a Diis receptam. Hæc igitur si in nuncii oratione exponenda erant, sequitur id, ex quo nonnulla intelligi possunt, quæ perverse ficta esse quidam criminati sunt, eam ita fuisse instituendam, ut quæ ad sacrificium pertinerent quam maxime essent ad terrorem injiciendum composita, quo magis virtus atque constantia explendesceret. Atque hoc fuisse poetæ consilium, jam nuncius ipse mihi videtur significare. Qui quum dixit, se mirabilia et inaudita afferre, a Clytæmnestra celeriter negotio defungi jussus, ita incipit orationem, ut omnia se dicat dilucide et ab initio expositurum, nisi mentis commotio linguam perturbaverit[1]). His, opinor, et ad verbosam atque accuratam narrationem viam sibi munire vult et animos spectatorum horrore quodam injecto ad novas et incredibiles res audiendas præparare. Mihi igitur hæc ingressio, quam in Euripideum nuncium convenire negant, non modo nihil suspicionis sed multum etiam commendationis habere videtur.

Quod si accuratiorem sacrificii descriptionem reddere voluit poeta, minime mirandum est, quum idem idem in Hecuba fecisset, si in rerum magna communione etiam verborum aliqua intercessit similitudo. Quod eo facilius Euripidi usu venire potuit, quod is in certo quodam et rerum et sententiarum velut gyro plerumque versatur[2]). Quo fit, præsertim

---

[1]) Hartungus, qui in hoc epilogo percensendo cupidius fere versatus est, hic exclamat: "en nuncius, qui ebrium se esse dicat! At tamen hoc interpolatoris modestum de ipsius arte poetica judicium putandum est." Ejusdem generis multa alia affert, ad quæ nihil attinet respondere.

[2]) Hoc omnibus notissimum est nec quemquam vel minime Eurepidea musa imbutum fugere potest. Firnhaberus, qui hac potissimum ratione suspectas nostræ tragoediæ partes sibi defendendas putavit, vix ullum versum prætermisit, quin similes ex aliis Euripidis tragoediis coacervatos adscripserit. Postremo in quarto excursuum, quos ad calcem libri sui adjecit, comparatione instituta orationum, quibus Macaria, Polyxena, Menoeceus, Iphigenia, Erechtei filiæ ad sacrificii mor-

in tanta fabularum multitudine, ut non modo locutiones, sed versus prorsus similes semel ac sæpius reperiantur[1]). Quare ex hoc, ut quod commune sit omnium Euripidis fabularum, nihil effici potest. At haud ita magna est illa verborum similitudo[2]) nec magis insignis quam aliis compluribus locis. Nam duo tantum versus sunt, quos cum aliqua probabilitatis specie ex Hecuba possis traductos judicare[3]). Qui si locum suum tenere nequeunt, æquum est, quod fecit Marklandus, hos ejicere, non in idem crimen totum epilogum vocare.

Quare quum ab hac parte tuta videamus omnia, ad singula, quæ ineptiis laborare dicuntur, percensenda redeamus. Incepta ut diximus oratione nuncius in hunc fere modum per git: quum ipse ceterique famuli virginem ducentes in lucum Dianæ venissent, statim confluxisse Græcorum multitudinem,

---

tem libere subeundam se parant, intimam earum necessitudinem ostendit. In quo genere si ad satietatem usque sibi placuit neque haud raro molestior factus est, at illud certe effecisse videtur, ex sola ejusmodi similitudine nihil quemquam esse profecturum.

[1]) Ex superstitibus Euripidis fabulis hæc exempla satis faciant: Alc. v. 207 et 8 iidem sunt ac Hec. 411—12 (priores suppositos non satis idonea causa judicant; Alc. 195 ac 312; Alc. 295—6 fere iidem qui 651—2; Or. 535—6 = 625—6; Iph. Aul. 986 = El. 672; Hipp. 898 = 1040. Vide alia exempla Firnhab. p. 247 et p. 290—1.

[2]) Hartungus quidem satis magnum versum numerum collegit, quos ex Hecubæ maxime et hujus fabulæ versibus confectos esse dicit. Sed horum in maxima parte unius tantum vel duorum verborum similitudine conjiciendi occasione usus est. Idque quum ipse prudenter monuerit p. 198: "Euripides geht nirgends aus auf neue Erfindungen in Bezeichnungen der Gegenständen: er nennt die nämlichen Dingen immer wieder mit den nämlichen Namen u. Beiwörtern, dergestalt dass ein Kritiker für corrupte Stellen immer am sichersten die Heilung finden wird, wenn er andere Stellen, in denen von denselben Dingen die Rede ist, beizieht." V. 500, quem, quod idem diceret ac v. 479, antea condemnaverat, in gratiam recipiens, dicit p. 213: "Dies ist aber eher eine Beglaubigung seiner Aechtheit als ein Grund zu seiner Verurtheilung."

[3]) Hoc nomine v. 1559—60 damnant Matthiæus, Hermannus, Ed. Cant.

Agamemnonem autem filiam conspicatum gemuisse[1]) et aversa facie lacrymasse veste oculos tegentem. Quod hic Agamemno quomodo se gesserit commemoratur et huic narrationi optime convenit (qui enim omitti poterat is, ad quem maxime hoc sacrificium pertineret?) et arctissima, quod supra ostendimus, conjunctione cum rebus ante actis in fabula cohæret[2]). Nunc illam filiæ caritatem, quæ in Agamemnone inerat, agnoscimus, nunc non nisi dura necessitate coactum patrem sentimus immolationem filiæ imperasse, nunc et miseratione et solatio dignus videtur. At ne Iphigenia quidem talem se probaverat patri, qualem debuerat. Detrectaverat enim quæ suorum et patriæ salutis causa a patre imposita erant. Jam igitur, quum mutato animo advenit, ut et filiæ et civis officium exsequatur, Agamemnoni ut patri suo et summo Græcorum duci eam se tradere consentaneum est. Quod factum esse nuncius deinceps narrat[3]). In oratione, quæ sequitur, Iphigeniæ nihil est, quod jure ullo vituperari potuerit, præter extremos duos versus, de quibus paullo ante diximus. At horum sententia non minus Iphigeniæ, quam Polyxenæ convenit neque facile deesse potest, tantum abest, ut ad hunc locum non sit idonei[4]). Quod apertius est, quam ut de his plura dici

---

[1]) ἀνεστέναζε v. 1549 Hartungo displicet, quod non possit sine objecto poni. Etiamsi opus esset objecto, ex proxima sententia facile repeti posset. At non opus esse, satis declarat Xen. Symp. I. 15. ubi καὶ ὃς ἀναστενάξας εἶπεν ita dicitur, ut nullum objectum commode intelligi possit. Difficilius est δάκρυα προῆγεν, quocum Matthiæus Suppl. 770 δάκρυα ἐξάγεις confert. Scribendum videtur προῆκεν, quæ conjectura a Fixio (vide Ed. Didot.) commemoratur; nam προῆγεν potius in eum cadit, qui alteri lacrymas elicit.

[2]) Qui hæc, quæ de Agamemnone narrantur, ex nobilissima illa Timanthis tabula imitando ab interpolatore expressum esse suspicantur, nisi prius demonstraverint, epilogum nostrum non esse ab Euripide scriptum, nihil impediet, quominus pictor poetam imitatus esse putetur; nam ætate inferior videtur fuisse.

[3]) Etiam hoc Hartungo absurde fictum videtur, quum Agamemnonem caput operuisse narratum sit!

[4]) Quæ Matthiæus in πρὸς ταῦτα argumentatur, nihil valent. Per-

opus sit, præsertim adhibitis iis, quæ ante de universo epilogi consilio explicavimus.

Jam audiamus nuncium sacrificii apparatus describentem. »Talthybius», inquit, »cujus hoc erat munus, in medio stans, ut linguis faveret et silentium faceret exercitus, pronunciabat. Calchas vates in aureo canistro posuit acutum gladium e vagina eductum[1]) et caput puellæ coronavit. Pelei filius autem, canistro simul cum aqua accepto, circum aram Deæ cucurrit simulque hæc precatus est: ferarum interfectrix Diana, Jovis filia, quæ claram facem noctu versas, accipe hanc victimam, quam tibi damus exercitus Achæorum et Agamemno rex, a pulchræ virginis collo illibatum sanguinem, et classi concede navigationem prosperam nobisque, ut Trojæ Pergamis hasta potiamur. Atridæ et exercitus totus steterunt oculis in terram defixis. Sacerdos sumto deinde gladio precatus est jugulumque inspiciebat, ubi feriret. Mihi quidem et dolor non mediocris animum subiit et capite steti demisso. Tum subito[2]) miraculum objiciebatur oculis.» In his plura sunt, quæ manifesta corruptricis licentiæ vestigia coarguere dicuntur. Primum enim, ut ab eo incipiam, quod et gravissimum est et omnium maxime epilogum suspectum reddidit, absurdissimum plerisque visum est, quod in hoc sacrificio ejusmodi partes datæ sunt Achilli, quem ante in hac fabula vidissemus, ut Iphigeniam servaret, omnia expertum esse et eodem consilio illuc quoque venisse; cujus rei causam nullam aliam esse posse

---

tinent enim hæc verba non ad proximos duos versus sed ad priorem orationis partem: ut in tam usitato interjectionis exemplo nihil opus sit cum Firnhabero *νικηφόρου δώρου* ab Iphigenia de se dictum putare.

[1]) Ita vexatum hunc locum vertimus, Hermannum secuti, qui *σπάσαι φάσγανον ἔσωθεν κολεῶν* interpretatur: "gladium, qui intus erat in vagina, inde extrahere." Scilicet *ἔσωθεν* idem fere quod *ἐκ* putamus significari, etsi describendi quadam vi dictum. — Firnhaberus Hartungo assentiens, *ἔσωθεν* aliud quam intrinsecus esse posse neganti, *σπάσαι*, quod ab *ἔσ. κολ* sejungit, idem esse vult quod *λαβεῖν*: in quo et lexicis contradicit et allatis, quibus suam sententiam confirmari dicit, exemplis (Or. 1148, 1457, I. T. 322) ipse se refutat. Ibi enim eandem quam ubique vim hoc verbum retinet.

[2]) De vocabulo *αἴφνης* vide Matth. ad v. 1557. Fortasse scriptum fuit *ἄφνως*.

quam inconsideratam Hecubæ imitationem[1]. Hoc ut melius judicari possit, paullo altius est ex ipsa fabula repetendum, quo ingenio quibusque moribus esse Achillem finxerit Euripides.

Ita igitur Achilles in scenam primo prodiens[2]) inductus a poeta est, ut, quum se dicit cum Agamemnone colloqui velle, omnium Græciæ populorum causam conditionemque proponat, qui parentibus, conjugibus, liberis, domibus, opibus, omnibus denique, quæ ipsis essent carissima, relictis belli studio divinitus incensi convenissent Aulidem. Quod ita esse a poeta institutum dicunt, ne Achilles, quum partes postea sibi destinatas esset suscepturus, temere et sine idonea causa adesse videretur; itaque eum venire diuturnam quietem bellique moram Agamemnoni exprobraturum. Sed etiam aliud quiddam poeta spectavit. Nam quum Agamemno, Menelaus ceterique principes, qui cum his sanguinis aut familiaritatis necessitate erant conjuncti, proprium quendam sibi finem propositum haberent, Achilles, qui nullam rem suam ageret et solam patriæ gloriam libertatemque defenderet, veram hujus belli vim atque naturam, quæ ad omnem Græciam pertineret, unus optime sentire ac demonstrare poterat. Hunc igitur poeta dignum habuit cui hoc tantum munus deferret, ut totius nationis quasi interpres quæ ejus esset causa et voluntas doceret itaque jus necessitatemque sacrificii, quod esset futurum, ostenderet. Mox autem Achilles certior factus, quo consilio quaque machinatione Agamemno filiam arcessivisset, quum Clytæmnestra fidem ejus pro filia imploraret, ipse iis, quæ et exercitus postularet et ad quæ ipse inscius Agamemnonem impulsurus fuisset, maxime obstitit. Nec tamen aut Iphigeniæ immolationem nefariam aut susceptum bellum tali sacrificio indignum ducebat: nam postea et Iphigeniæ mortem obeundi consilium comprobat[3]) et, modo alia ratione res gesta esset, ipsum se dicit non fuisse recusaturum, si inde penderet

[1]) Vide Matth. p. 409, Herm præf. p. XXVIII, Ed. Cant. p. 229, Hart. Ed. Germ. p. 274.

[2]) v. 801 sq. [3]) v. 1408, 1422—4.

profectionis facultas, quin ad hanc impetrandam commilitonibus suum officium præstaret[1]). Sed ideo sacrificium sibi prohibendum censebat, quod et maxima sui contemptione egissent Atridæ, quum, venia ne uno quidem verbo expetita, ipsius nomine usi essent, et quod magna ad se infamia ex illa fraude esset redundatura, et propter indignitatem mortis, quam virgini per speciem nuptiarum arcessitæ, postquam ad aram velut victimam rapuissent, inferre in animo haberent[2]). Itaque matrem mæstam consolatur juratque se vivo ne minimam quidem vim futurum ut filia ejus pateretur[3]). Prius autem quam ad vim veniatur, admonet eam, ut precibus maritum adeat, si forte hac via, ut ab incepto desistat, commoveri possit: ita enim se neque in Græcorum odium incursurum et Agamemnoni minus inimicum futurum[4]). Sed quum neque ferociores conjugis exhortationes nec mollissimæ præces filiæ quidquam profecissent et Agamemno ita respondisset, ut jam in Achille omnis spes sita esset, hic denuo advenit affirmans se quæ pollicitus esset præstiturum, etiamsi cum toto sibi Græcorum exercitu dimicandum sibi foret. Neque quum Iphigeniam mente subito mutata mortem expetentem videret, statim se fide solutum putabat verens, ne juvenilis eam ardor et levitas ad tantam propositi atrocitatem impulisset; sed accedentibus ad eas, quas prius habuerat, causas magni illius excelsique animi admiratione conjugiique cupiditate[5]) eo magis, ut co-

---

[1]) v. 962—7. Ne et ingenio Achillis et iis, quæ in aliis ejusdem orationis locis dicit, repugnent, hos versus ita intelligimus, ut Achilles dicat, si Agamemno, hoc modo se uxorem ad filiam dimittendam potissimum impulsurum ratus, Iphigeniam sibi vere despondisset, tum sponsam se patriæ saluti fuisse daturum.

[2]) v. 919—974. [3]) v. 948—54, 1005—7.

[4]) v. 1015—23.

[5]) Non dicam cum quibusdam amore incensum esse Achillem: non quod cum epilogo hoc pugnare censeam, sed quod et huic nomini facile plus, quam ipse poeta indicavit, subjicitur et quod nonnihil dubitari potest, an Achilles Iphigeniæ salutis potius quam conjugii cupidate ductus illam conditionem proposuisse putandus sit, atque ita non modo ejus constantiæ sed etiam suæ generositati cumulum addidisse.

actæ mortis foeditatem averteret, omni ope enitebatur. Ac ne tum quidem, quum omnem persuadendi operam perdiderat, satis se fecisse existimans, ad aram abiit, ut ne, si in ipso sacrificio aliquid infirmitatis in Iphigenia cerneretur, suum deesset præsidium. Omnino in omnibus hujus Achillis dictis factisque Homericum illum facile agnoscas: eadem enim in utroque belli cupiditas, eadem animi ferocia et elatio, eadem gloriæ famæque aviditas, idem odium omnium, quæ vilia et abjecta essent, eadem, ubi ira non animum perturbaret, humanitas, eadem illa fortitudo, quæ nihil timeret, nihil refugeret. Quamquam hic quidem Euripidea philosophia aliquantulum se temperatum præstat.

Quid est igitur aut in ingenio hominis aut in rebus ante gestis, in dictis et factis ejus, ut quæ in epilogo agit ei potuisse ab Euripide tribui negemus? Non ipsius infamia aut sacrificii indignitas aut jusjurandum matri datum: viderat enim Iphigeniam firmo gradu, vultu intrepido accedentem, audierat illam ad immolationem se patri tradentem, intellexerat suo nihil opus esse auxilio; non modo stultissimæ audaciæ erat sed humilis illiberalisque animi diutius propositum obtinere. Non injuria Atridarum contemptione illata: nam hæc, sive perficeretur sive non perficeretur sacrificium, eadem manebat. At amor ille, qui subito exarserat[1])? Hic vel minime: neque enim illius alti ac generosi animi erat, quum puella vitam pro patria profunderet, se vinci sinere magnanimitate et suam cupiditatem patriæ saluti præponere. Et ipse, quam longe id a suo animo distaret, testatus erat, ipse, quæ agendi ratio sibi nunc esset sequenda, præceperat tum quum dicebat, modo sua gloria servata esset et dolus abfuisset, se sponsam patriæ fuisse daturum. Nunc, quum ipsi majus ac difficilius factum esset sacrificium, refugeret? — At, sacrificium quamvis fieri passus sit, ipse certe non debuit particeps ejus esse. Hoc infirmitatis erat, qualis in Achille nullum locum habebat. Pulchra ac præclara erat mors, quæ altissimum quemque animum maxime alliceret et admi-

---

[1]) Nam tantum ei tribuam, quantum a quibusdam factum reperio.

ratione afficeret; huic igitur, cui ipse invideret, quidni interesse sustineret, quum præsertim sui id officii esse videretur? Nam huc eum vocabat patria, ut pro qua initio verba fecisset nunc preces funderet; huc summæ virtutis existimatio; ut quas Agamemnoni non liceret sustinere partes susciperet; huc denique ipse ille amor: nam quo sibi sacrificium acerbius esse sentiebat, eo magis dignum se habebat, qui Deæ sacrificio placandæ gratiam populo precaretur[1]).

His causis, nisi fallor, efficitur Achillis quidem ratione habita nihil impedire, quominus ea, quæ narrat nuncius, ab eo facta sint[2]). Accedit autem altera ratio ex ipso epilogi consilio, de quo supra dictum est, petita. Nam quum Achilles non posset in epilogo omitti, talis nimirum proponendus erat, ut ad constantiam Iphigeniæ amplificandam quam plurimum conferret. Quod quomodo hic faciat, apertum est. Eodem etiam pertinet, quod, quum mos esset, ut cultrum, quo ferienda esset victima, in canistro mola et velaminibus

---

[1]) Schillerus in annotationibus, quas huic fabulæ Germanice conversæ adjecit, in Achillis persona id ut minus bene institutum reprehendit, quod primo Iphigeniam servare vult, deinde immolari permittit. Necesse esse enim aut hoc sacrificium ut a Dea postulatum ad Græciæ salutem necessarium putaverit, aut non. Prius si verum esset, nunquam sacrificio ab eo obsistendum; si posterius aut si de necessitate ulla esset dubitatio, quod ipsius de vatibus judicium (v. 956—8) indicare videatur, virginis immolationem, etiamsi ipsa expeteret, nullo eum pacto debuisse pati. Quare utrumcunque sumatur, Achillem sibi constare non posse. Hoc verum esset, si perfecti hominis speciem Euripides in Achillis persona finxisset. Quod aliter se habere ex iis, quæ supra dicta sunt apparet. Ab hoc Achille ea inconstantia non magis aliena est, quam ab Homerico illo quod ob injuriam sibi ab Agamemnone illatam Græcos Trojanis trucidandos deserit suæ gloriæ salutem patriæ postponens. Quæ vero dicit v. 956—8, nisi iræ excusationem haberent, ad commune omnium Euripidis fabularum vitium pertinerent, quo hic suas sæpe sententias alienissimis locis inculcavit. Atque in vatibus perstringendis constat, quantopere scenici poetæ post Syracusanum bellum sibi placuerint.

[2]) Satis inepta est Firnhaberi suspicio (p. 287), Achillem ipsum has sibi partes expetiisse putandum esse, quo meliorem virginis servandæ occasionem haberet, fortasse etiam poetam sic significare voluisse, ab eo virginem fuisse abreptam.

occultatum haberent[1]), hic (v. 1565—7) Calchas gladium ante oculos puellæ strinxisse dicitur et postea ipsam coronasse. Jam Achillem cucurrisse circa aram absurdum visum est[2]). Quod etiamsi veterum testimoniis non possit defendi[3]), modo nihil nisi citatiorem incessum cogites, commoti animi impetus, ni fallor, justam causam præbet. Porro illud objicitur, in Achillis precibus apertius, quam pro Euripidis more, Dianam cum Luna confundi[4]). At quod ab Æschylo factum est (Xanth. *ἀστερωπὸν ὄμμα Λητῴας κόρας*) idem etiam ab Euripide fieri potuit[5]); et quum Æschylus Lunam et solis filiam esse et eandem fecerit ac Dianam, quidni hanc veniam daremus Euripidi[6]), etiamsi eam confusionem postero tempore magis magisque accrevisse nesciremus. Deinde quod Atridas totumque exercitum oculos in terram defixos habuisse narratur, id a Christiano homine ad Christianorum moris similitudinem fictum dicunt; Græcos enim, quum precarentur, oculos ad coelum sustulisse[7]). At neque certum est, hunc

---

[1]) Schol. ad Arist. Pac. v. 948, *ἐκέκρυπτο ἐν τῷ κανῷ ἡ μάχαιρα ταῖς ὀλαῖς καὶ τοῖς στέμμασι*; et ibidem *εἰώθασι ἐπὶ τὸν κανοῦν τὴν μάχαιραν φέρειν κατακρύπτοντες αὐτὴν ταῖς ὀλαῖς καὶ τοῖς στέμμασι*. Cfr Schol. ad Eur. Or. v. 188. Cetera quæ contra hunc locum disputat Matth. p. 408—9, partim ex prava explicandi ratione fluxerunt, partim a Firnhabero satis refutata sunt.

[2]) Matth. p. 409: "Neque *ἔθρεξα* facile apud alium idoneum auctorem legitur" (ipse tamen postea in Gram. Ed. III. p. 664 hanc formam confirmavit) "et quid opus est cursu? Sacra portantes lente incedere credideram." l. c. p. 274.

[3]) Aristoph. Pac. v. 957. Etymol. M. sub voce *προσώδιον· ὑπορχήματα δὲ ἅτινα πάλιν ἔλεγον ὀρχούμενοι καὶ τρέχοντες κύκλῳ τοῦ βωμοῦ καιομένων τῶν ἱερείων*, quo usus est Firnhaberus p. 249, parum præsidii afferre, Hartungus recte videtur judicare ll.

[4]) Matth., l. c. Hart., l. c..

[5]) Firnhaberus (p. 250) *φωσφόρος* I. T. v. 21 ad Lunam refert. Res est dubia. Vide Herman. ad Soph. Trach. 213.

[6]) Ad Phoen. v. 175, *ὦ λιπαροζώνου θύγατερ Ἁλίου Σεληναία*, legitur in Schol.: *Ἡσίοδος φησὶν, ἀδελφὴν Ἡλίου εἶναι τὴν Σελήνην* (Theog. 371), *Αἰσχύλος δὲ καὶ οἱ φυσικώτεροι, θυγατέρα, παρόσον ἐκ τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς μεταλαμβάνει* etc.

[7]) Matthiæus, qui hunc morem ex Il. *η'* 178 ostendit; assentitur Hartungus.

morem semper et in omnibus sacrificiis[1]) a Græcis fuisse observatum, neque mirum esset, si hoc loco miseratio et horror, ut a more recederent, effecisset. Sed ne his quidem opus est; nam earum omnium sententiarum continuatio, quibus ea, quæ proxime sacris antecesserant, describuntur[2]), aperte ostendit post factam demum precationem Græcos dejecisse in terram oculos. Hoc autem et humanæ naturæ consentaneum est et instantis miraculi causa ita a poeta institutum. Denique quod nuncius, quum sacerdos arrepto gladio ad ictum feriendum se pararet[3]), ne se ipsum quidem dicit aspectum sustinuisse et demisso capite stetisse, id et ejus personæ optime convenit (nam pro illorum hominum ingenio, qui se aliquid videri concupiscant, de se ut primaria persona loquitur) et eo spectat, ut sacrificii formidines quam longissime narratione sua persequi posset[4]). — Ceterum de tota hac, quam proxime percensuimus, narrationis parte monitum volumus, quum homines immolare non Græcorum esset moris, non nimis moleste ferendum, si, ut in re nova, aliquid in sollennem sacrificiorum ritum peccatum sit.

Quæ hinc sequuntur a nuncio narrata, etsi multis magnisque metricis vitiis deformata, ad sententias tamen quod attinet, minus vexata fuerunt[5]). Quamquam etiam hujus generis non

---

[1]) An etiam in iis, quæ inferis Diis offerebantur?

[2]) Hutterus p. 31 verissime monet, his sententiis, quæ v. 1562–81 continentur et omnes a particula δὲ incipiunt, singulas continuo se excipientes unius actionis partes significari.

[3]) Matthiæus, qui omnino morosius hanc quæstionem tractavit, de hoc loco sic scribit: "ineptus vero sacerdos fauces inspiciens, ut, quam faucium partem feriret, constitueret." Idem fere Hartungus l. l. — Ex iis, quæ supra in universum de hac narratione diximus, quorsum spectet hæc accurata descriptio, sponte intelligitur.

[4]) Immerito igitur hoc reprehendit Matthiæus ad v. 1553.

[5]) In grammaticam rationem Matthiæus duobus locis peccatum dicebat. Primum *μάλιστα τῆς κόρης* (v. 1594) ei ab Euripidis consuetudine alienum videbatur. Sed recta interpretatione ea difficultas tollitur. Pendet enim (quod docet Hutterus l. c. p. 30) genitivus ex verbo *ἀσπάζεται*, in quo inest mutandi vis (cfr. Matth. Gr. §. 364, Kühn.

pauca invenit Hartungus; quæ etsi levia esse sentio, ut omnium vis judicari possit, breviter attingam ea, quæ ut maxime suspiciosa notavit. Atque in v. 1582—3 absurdum illi videtur, quod, qui postea Iphigeniam in coelum sublatam esse dicat, idem hic narrat, neminem vidisse, ubinam illa sub terram subierit. At nuncius non hoc vere factum esse dicit, sed commemorat tantum, quod Græcorum unicuique et nostrum quoque, arbitror, debebat in tali re verisimile videri. Paullo infra (v. 1586) *πίστις παρῆν* improbat, quamquam *φόβος, θαῦμα* (admiratio), *ἐλπὶς πάρεστι* haud rara sunt: item *κατηνθρακώθη* de *θῦμα* dictum (v. 1602), quum lexica, quæ in omnium manibus sunt, similia exempla Soph. El. 58, Eur. Cycl. 663 præbeant. Tum quod sacrificio finito tertium preces fiunt (v. 1603) suspiciosum habet: de hoc, si, quod nescio, contra ritum factum est, satis ante diximus. Denique quum *δόξαν ἔσχεν* »gloriam habebat» interpretatur, Med. v. 540 afferens, ad frequentissimam aoristi significationem[1]) minus attendisse videtur. Sed hæc hactenus.

In extrema epilogi parte Agamemnonis inductio vehementissime vituperatur. Nam neque causam cur veniat satis idoneam reperiri posse et nihili esse, quod dicat. Quod contra si Euripides Agamemnonem induxisset, sine dubio futurum fuisse, ut elegantem et sententiosam orationem haberemus[2]). At non temere et sine causa hoc est a poeta institutum: primum enim Agamemnonis adventum requirunt proximi Clytæmnestræ versus, ex quorum membris quamvis disjectis hoc tamen elucet, eam mirabili filiæ fato obstupefactam dubitare, num levissimo illi tantæ rei auctori fidem habere audeat. Idem etiam Agamemnonis persona, qualem eam per totam fabulam vidimus, postulat: volumus enim

§. 541, b) ubi similia exempla). Atque ita interpretatur Hartungus in Ed. Germ. Idem Matthiæus *πέμπει ὥστε φράσαι* v. 1604 soloecum censebat, probaruntque ejus judicium Hartungus et Hermannus, cujus emendationem recepit Firnhaberus, quamquam necessariam eam esse negat.

[1]) Vide Krügeri Gram. 53, 5, 1.

[2]) Bremius, cui suffragantur Matthiæus p. 413 et Hartungus p. 276.

illum, qui tantis curis tantisque doloribus fuerit agitatus, nunc tandem tranquillum et levato animo nobis in conspectum venire: quumque uxorem maximis injuriis affecisset, iteratis dolis eam circumvenire conatus, et durus crudelisque videri coactus esset, oportebat eum, qualis erat semperque fuerat, talem se conjugi probare, ut nunc, in bellum grave et longinquum profecturus, multam uxori diceret salutem filiolumque unam solam spem domus, si quid sibi accidisset, maternæ caritati commendaret. Idem denique Euripidis in concludendis fabulis consuetudo desiderat, qui fere ubique, ut omnia apte et plene componerentur neve de quoquam eorum utique, qui primarias partes gessissent, ulla relinqueretur dubitatio, prospicebat diligenter. Atque quemadmodum in aliis Euripidis fabulis, postquam ille Deus ex machina judicium tulit, contentiones sedavit composuitque, mæstos consolatus est, quo quæque fato futura essent prædixit, ii, ad quos verba fiunt, Deo gratias agere, ejus voluntati obedire, inimicitias deponere et sua se sorte contentos profiteri solent, ita hic quoque Agamemno, etsi non a præsente Deo monitus est, fecit probabiliter. Jam si hæc brevibus absolvit, si nihil ultra quam opus erat dixit, neque id contra morem Euripidis in hac causa factum est, neque est quod longiorem et sententiosam orationem desideremus. Nam quæ nihil opus sunt plus nocent quam prosunt, et si elegantes illæ et sententiosæ orationes etiam in aliis tragoediarum partibus non mediocrem Euripidi reprehensionem contraxerunt, certe in ipso exitu multo minus erant ferendæ. Quod sensit poeta: quare hoc loco illis deliciis abstinuit suis. — His et adventus Agamemnonis et quæ dicit et quod paucis dicit, satis defenduntur[1]).

---

[1]) Adduntur a Firnhabero (p. 289), quæ longiori oratione obstent, et temporis angustiæ (jusserat enim Calchas vento secundo a Diis misso sine mora uti) et pudor Agamemnonis, cujus fraudes prosper eventus non infectas reddiderat, et inutilitas: nam sive placaretur Clytæmnestra, hoc cum posteriore Atridarum fabula pugnaret, sive odium retineret, nihil prodesset verborum copiam adhibere; poetæ denique lassitudo in fine tam longæ tragoediæ. Quamquam hæc quidem neque opus sunt neque multum valent ad persuadendum.

Quoniam igitur in epilogi et rebus et sententiis non modo nihil, quod aut per se ineptum esset aut ante actis minus congrueret, sed omnia et cum his partibus et inter se apte cohærentia et Euripidis consuetudini convenientia et ad fabulam concludendam necessaria vidimus, reliquum est ad hanc quæstionem profligandam, ut de metricis vitiis, quibus nonnulli adulterinum opus esse convincere voluerunt, pauca dicamus. Quamquam qui cetera crimina rejecerimus ne huic quidem omnium incertissimo levissimoque, quod et facillima explicandi ratione dilui possit nec magis in hunc locum cadat quam in alios complures, tribuere multum possumus. Neque vero iis, qui adulterantis fraudi maluerunt quam librariorum errori numerorum pravitatem deberi, quum unde factum sit, ut dimidia fere pars epilogi sane luculentis versibus scripta reperiretur, explicare conarentur, ipsorum commentis fidem facere contigit. Atque Hartungus quidem et Ed. Cant., ex quorum sententia interpolator ille deleto epilogo ab Euripide scripto eum, quem nunc habemus, ita confecit, ut ad eas veteris epilogi partes, quæ proposito suo servire viderentur, alias partim ex Hecuba arcessitas partim ab ipso, ut posset, fabricatas adjiceret, ubi versus illos ex altero epilogo retentos indicare volunt, non jam consentiunt, alius alios servatos existimans[1]). Matthiæus autem ex toto epilogo nihil Euripidi relinquens a scriptoribus ætate diversis eum profectum censet, ut v. 1532—50 fortasse etiam 1551—58 antiqui cujusdam poetæ sint, reliqua recentioris[2]), quem et illicitis anapæstis mire delectatum[3]) et vocales ancipites pro arbitrio nunc longas nunc breves fecisse[4]) et accentu pedes dimensum[5]) et positionem neglexisse[6]), omnis denique numerorum doctrinæ plane ignarum fuisse dicit. At si propter talia statim velimus subjectoris odorari præstigias, (id quod

---

1) Vide Hartung. Ed. Lat. p. 252; Ed. Germ. 275; Ed. Cant. p. 229.

2) Vide Matth. p. 407.

3) Vide ad v. 1546.

4) Vide ad v. 1562.

5) Vide ad v. 1575.

6) Vide ad v. 1549.

fecit Matthiæus; neque enim aliter diversum posterioris epilogi partis auctorem statuisset) patet, nullam antiquitatis tragoediam liberam ejusmodi suspicionibus futuram. Æquius de interpolatore judicavit Hermannus, cui incredibile videbatur, »eundem hominem in multis probabiliter factis versibus aliquot versus scripsisse tanta vitiorum enormitate insignes» [1]). Itaque librariis et recentiorum metricorum malæ sedulitati peccata illa tribuit et versus depravatos emendavit [2]). Ac profecto si his quidquam in tali causa tribuendum est, id in fine fabularum optimo jure fieri potest; nam hæc voluminum pars magis temporum injuriis obnoxia, etiamsi diligenter describeretur, ceteris proclivior erat ad errorem faciendam, ut vel negligentiæ crimen ab inscitia avertat. Sed Hermannus, quum vitiosos versus emendaret, sive quod in tanta et tam gravi depravatione majorem dari putabat libertatem judicii sive quod in fraudis auctorem non admodum religiose consulendum existimabat, et acrioribus, quam opus erat, remediis usus est et ea mutavit, quæ, etsi minus bona, Euripidis arte tamen non essent indigna. Atque hic illic quidem nunc deest syllaba versui nunc superest: anapæsti sunt in locum non suum inculcati, alia commissa multa, quæ cumulavit Matthiæus: quæ tamen quum immerito subjectori tribui putemus, de iis vitiis videbimus, quæ non nimis aperta atque turpia in hunc eundem aliqua cum probabilitate conferuntur.

Ac solutionum crebritatem quum nonnulli objecissent, Firnhaberus, comparatione Iphigeniæ Aulidensis cum Bacchis

---

[1]) Vide Præf. p. XXII. Hujus rei causam Hartungus p. 275 eam esse dicit, quod interpolator, quum Hecubæ illo loco non posset uti, ipsius artem, qualis esset, ostendere coactus sit. At neque Hecubam ad verbum exscripsit neque aut primam epilogi partem aut posteriores parodi strophas aut quæ alia ab eodem scripta esse dicuntur unde conquisierit demonstrari potuit.

[2]) Porsonus, cujus eadem fere erat de interpolatore existimatio similem rationem fuerat secutus; quamquam hic quidem parum sibi constabat, qui, quum exquisitiores trimetri tragici leges illi non ignotas putaret, gravissimum prosodiæ peccatum, quod habet v. 1573 in voce Ἀγαμέμνων, interpolatori relinqueret, idque quum ab eodem scriptore idem vocabulum recte ad iambicum numerum accommodatum videret v. 1547 et 1604.

facta, et in ceteras hujus fabulæ partes et in Bacchas illam reprehensionem multo magis convenire demonstravit[1]. Idem in omnibus Euripidis posterioribus fabulis, præsertim Oreste, Phoenissis et Helena, dici potest; neque intelligere equidem possum, quomodo hac re pro argumento uti potuerint, nam multo rariores hic quam illic solutiones sunt. Atque eo ducere videntur tum illa Matthiæi crimina, tum quod productionem vocalium ante mutam cum liquida in hoc epilogo reprehendunt. Hæc quum tribus modis fieri possit, ut aut in eodem et simplici vocabulo aut in composito post præpositionem aut initio sequentis verbi positæ hæ consonantes vocalem excipiant, primum illud nullam habere potest offensionem[2]. Alterum raro factum esse docet Hermannus Elem. Doctr. Metr. p. 45. At exempla ab Erfurdtio Hermannoque ad Soph. Oed. R. v. 640 allata[3]), etiamsi nonnulla incertis scriptionibus nituntur, satis tuentur hujus epilogi v. 1597 *ἐπιδρομάς*, ut non ab Helena v. 404 huc translatum id vocabulum putandum sit[4]. Tertium, quod in melicis et anapæstis factum multis confirmat exemplis Seidlerus De Vers. Dochm. p. 21 och 409, in iambis et trochæis aut raro aut numquam factum esse, dicit Hermannus l. c.[5]. Quare cui non placuerit quod raro factum sit hic factum esse statuere, mutabit ille cum Hermanno aliisque versum 1579 hujus epilogi; in v. 1610 *δέ* cum *τοί* mutat Hermannus,

---

[1]) Vide p. 294—5.

[2]) Huc pertinent v. 1621 (expulso a Barnesio *ἕνεκ'*) *θυγατρός*, quæ vox sæpe secunda syllaba producta usurpatur, et *Ἀτρείδην* v. 1627 ab Hermanno numerum anapæsticum restituente in finem versus conjectum. Etiam Andr. 1026 (in melicis) hoc verbum primam syllabam producit.

[3]) Or. 12 *ἐπέκλωσεν* mutat Hermannus (non propter metricas solum rationes); *ἀπέθρισεν* Hel. 1188 (suæ ed. 1205) admittit.

[4]) Quod Hermannus suspicatur ad Hel. 423.

[5]) Non licuit mihi libros hic ab Hermanno citatos inspicere. Sed Alcestidis v. 542 *αἰσχρὸν παρὰ κλαίουσι θοινᾶσθαι φίλοις* ipse probavit Hermannus, et Seidlerus ad Eur. El. 1058 dicit, hunc versum, ut multos, ille regulæ repugnare; Firnhaberus etiam Iphig. Aul. v. 971 *αἵματι χρανῶ* et 1234 *εἰκότα κλύειν* defendit.

cum δή Firnhaberus, non numero magis quam sententia permotus[1]. Versum 1586 Porsonus, quum tertium et quartum pedem uno vocabulo contineri illicitum putaret, transpositione emendavit, Hermannus autem defendit, quod cæsura primam versus syllabam recidens mensuram trimetri temperaret[2]. Gravius peccatum videtur in illa de quinto pede præcepta, quorum alterum dactylum hoc loco excludit, alterum vocem plures syllabas habentem longa syllaba ante hujus pedis arsin terminare vetat. Et Porsonus quidem, quum unicum migratæ superioris regulæ exemplum in v. 1623 reperisset, εὐγενῆ pro νεαγενῆ conjecit. Matthiæus autem, secundam hujus vocabuli longam esse haud ignorans, creticum in hanc sedem illatum adulteratori illi suo tribuit. Nec multo æquius Hermannus, qui νεογενῆ scribens itaque inauditum dactylum efficiens, interpolatoris ingenio et arte dignum hunc pedem statuit[3]. Quorum quum neutrius ratio placere possit, si cui Porsoni conjectura, audacior scilicet illa, minus probata erit et synizesis in hac voce facta[4]) magis arriserit, novum exemplum ad ea accedet, quæ alteram illam Porsoni legem infringunt. Cujus generis sunt in hoc epilogo v. 1612 et 1613. Nam prætermittimus v. 1589 et 1599, qui gravius corrupti si ita emendantur, ut hoc vitium maneat, ad emendatorem id pertinet. Neque v. 1611 adnumeramus, qui temperatæ ab Hermanno Porsoni regulæ[5]) non adversatur. Ex duobus illis, qui soli re-

---

[1]) Omisimus ἐστὶ βλέπων v. 1577, (quæ est veterrimorum editionum scriptio a plerisque editoribus in ἔστη mutata) quod βλ etiam hoc positu productionem affert proximæ vocali.

[2]) Hoc iis convenienter statuit, quæ ipse Elem. Doctr. Metr. p. 112 et 113 et Epit. Doctr. Metr. §. 145. præcipit.

[3]) Idem commisit Firnhaberus νεόγονον edens.

[4]) Ut in νεανίδες v. 615. Talem synizesin vocis νεανίας, quamquam dochmiaci numeri sunt, habemus Phoen. 147 et Hel. 666. Eam hoc loco Wundero (Adv. in Soph. Phil. p. 37) placuisse dicit Freese, Griech. Röm. Metrik p. 180.

[5]) Vide Elem. Doctr. p. 114 Epit. §. 148. Idem præsidium est versui 1596, qui tamen depravatus in libris legitur.

stant[1]), v. 1613 elisione quintam arsin prægressa haud mediocriter levatur[2]); alterum etsi minus bene conditum esse non negamus, tamen quod et Æschylo et Sophocli et maxime Euripidi evenit, ut negligentius scribentes contra legem, cujus præsertim ipsi non essent conscii, facerent[3]), idem non potest hic adulterini quid inesse probare.

Cæsuram denique quæ fit post tertium pedem (nam hanc pariter huic epilogo exprobrarunt) habent v. 1532, 1579, 1593. At hæc cæsura, quamquam non exstat sæpius, tamen neque rara est neque simpliciter improbanda. Nam præterquam quod dipodica mensura senarius sic partitus ab Alexandrino versu differt[4]), nunc alia incisione, nunc elisione hæc cæsura lenitur, nunc »in oratione gravi et commota aptissime adhibita invenitur.»[5]). Quod si quis consideraverit simulque ad sententiam horum versuum attenderit, non modo nihil vitiosi reperiet, sed cæsuram illam magnopere probabit[6]). — Difficilior quidem est cæsura in solutam

---

[1]) Tertium adjecit Hermannus (vide notam ad v. 1630, ubi ex bis exemplis subtiliorem illam regulam ab interpolatore non observatam esse colligit) v. 1583. Qui qua ratione Porsoni regulam lædat, neque hic in Suppl. ad Præf. Hec. neque, quod sciam, Hermannus ipse in Elementis ostendit. Utcunque est, cæsura ἑφθημιμερής in hoc versu eandem vim habere debet, quam alias in hac causa ei tribuit Hermannus.

[2]) Hoc æque necessarium est, sive iterationem trochaicæ dipodiæ sive debilitatem trochaici numeri sub finem versuum (vide Freese l. c. p. 186) sive quam Hermannus Elem. p. 115 indicat Porsoni regulæ causam fuisse statuimus.

[3]) Herm. l. c. de hac re: "Sed quis contendat, si aliis in rebus aliquando negligentiores fuerunt poetæ, nunquam eos hac in re aliquid incuria admisisse. Quod ego quidem Euripidem in fabulis post Ol. LXXXIX scriptis fecisse, in quibus omnino major cernitur negligentia, haud ægre crediderim." Cfr Freese, l. c.

[4]) Vide Freese, l. c. p. 183. Hoc Hartungi causa monemus, qui primum epilogi versum hoc nomine notat.

[5]) Herm. Epit. §. 143.

[6]) Ita v. 1593 ipsis numeris apte Calchantis admirationem significat cervam pro virgine adspicientis, ut nihil opus sit violentiore Hermanni mutatione; nam proximus versus facillime sanari potest, sive οἱ (cum Huttero) sive ἡμῖν (cum Firnhabero) sive ἄρ' vel tale quid post ἦν inserere placet, sive aliud quid ad versum explendum adhibere.

tertiam arsin incidens, qualem habemus v. 1572; nam si omnino vocis terminatio in soluta arsi displicebat (nisi sequeretur enclitica) gravior illa cæsuræ incisio hoc loco non poterat non multo majorem habere offensionem. At tamen non desunt exempla; neque etiamsi exempli causa hujus fabulæ v. 659 et Helenæ 291, in quibus nimium quantum displicet sonorum pravitas, jure mutatos esse[1]) concedimus, ideo aut hunc versum[2]) aut Bacch. 807 emendatione indigere necesse est; nam hos non minus elisionis vis quam Euripidis in posterioribus tragoediis magis magisque increscens numerorum negligentia tuetur.

Postremo quod anapæsti tam corrupti ac perditi sunt, id præter illam causam, quæ toti epilogo injuriam attulit, haud alia ratione factum est, quam qua omnium tragoediarum eæ partes, quæ non iambico aut trochaico numero perscriptæ sunt, maxime deformatæ ad nos pervenerunt. Atque quum ex iisdem pæne verbis bonos anapæstos videmus levissima opera concinnatos, casune factum et fortuito putemus?

---

[1]) Ut factum est a Porsono, Hermanno, aliis; L. Dindorfius parum sibi constans alterum emendavit, alterum admisit.

[2]) In quo Porsonus (Suppl. ad Præf. Hec.) τοῦτ' ab epilogi auctore scriptum fuisse putat, probatus Hermanno.

Corrigenda:

Pag.	10	v.	13	sup.	leg.	fabulæ
—	12	—	4	inf.	—	scilicet
—	16	—	15	—	—	profecto
—	20	—	9	sup.	—	Iphigenia
—	23	—	13	—	—	confirmari
—	—	—	21	—	—	insertam
—	29	—	6	inf.	—	plays
—	43	—	19	—	del.	sibi